Franchi
mont
li[illegible]
[illegible]

Frischman de Ehrencron

NICOLAI FRAN-CHIMONT à FRANCKENFELD,

DOMINI in Nemischel, Nalschowitz, Kniowitz & Rothenhradeck, Phil. & Medicinæ *Doctoris*, ejusq; *Professoris Primarij*, *Senioris*, *& Emeriti Equitis Boëmi*, Sac: Cæs: Rq; Maj: *Consiliarij*, Sac: Later: Palatij, Aulæque Cæsareæ *Comitis*, *&c.*

LITHOTOMIA MEDICA,

SEU

Tractatus Lithontripticus;

De Calculo Renum & Vesicæ.

PRAGÆ,

Impensis JOHANNNIS ZIEGERI, Bibliopolæ Noribergensis.

ANNO 1683.

H. L.

Cum Tractatum hunc publicè

pro

Obtinenda Suprema Doctoratus Corona defendendum ſusceperit

Nobilis & Generoſus

MATTHÆUS JOHANNES FRISCHMANN de EHRENCRON,

Boëmus,

In Laudem & honorem ejus

Carmina gratulatoria ſequentia fuêre confecta.

Præfecto ſuo Honorandiſsimo.

QUis locus hic? quæ forma fori? quæ juris imago?
Sicne novo veniunt bella gerenda modo?
Bella; nec effulget mucro, nec fulgurat enſis,
Nec rutilat cuſpis, ſed facit arma lapis.
Arma lapis, jacitur, clypeo obſiſtente reſultat,
Sic opus eſt clypeo, hunc qui removere petit.
Lingua tuus Clypeus, benè qua ſi verba loquêris,
Et benè ſic ſaliet, tranſilietque lapis.
Et benè Grammaticam doctus, tibi dixero, Friſchman,
Omen quôd Nomen, Belláque bella geras.

Ità accinendo loquitur

Joannes Wenceslaus Michaël,
Liber Baro de Walderode,
Grammatiſta.

IN LAUDEM

Nobilis ac Generosi Domini Defendentis

MATTHÆI JOANNIS FRISCHMAN, DE EHRENCRON.

NOn *satis est: licèt ampla suos det terra (a)* lapillos,
Huc etiam (a) lapides *fer microcosme tuos!*
Quos tamen ingenio (b) vegetus *scrutabitur hic (b) vir*
Se probet ut dignum talibus esse virum.
Sed quia (fama tulit) datus est bene (c) calculus: *ergo*
Nil timet hostiles jam lapis *iste minas!*
Restat: (d) honoris *eam lapides ornate (d)* coronam!
Æternùm Medici cingat at illa caput!

(aa) Lusio in voce, *(bb)* Allusio ad cognomen Frischman. *(c)* In tentamine & examine. *(dd) Allusio ad Prædicatum* D. *Defend.* de Ehrencron.

Sic gratulabundè cecinit olim individuus Collega

Joannes Franciscus Corvinus,
M. C. Jll. DD. Ferdin. L. R. L. C. de Koll. p. t. Præfectus.

AD

HONORIS*CORONAM

NOBILIS AC GENEROSI DOMINI

MATTHÆI JOANNIS FRISCHMANN de Ehren*Cron,

Medicinæ Candidati,

exhibitâ CALCULI Methodo

Communi Facultatis Medicæ Calculo *Docto-rali* Laureâ *intertexendam*

CARMEN AGGRATULATORIUM.

UNo *dum* cunctos calcas *certamine morbos*
Calculus *in* cunctis unus honoris *erit.*
Calculus *hic debitam* Tibi *fert in* Honore Coronam,
Insomnes oculi *quam meruêre* Tui.
Hoc Labor *&* *virtus* T Herbæ *ferre videntur*
Quem semper Vigilem Lunáq; Solque *vident.*
Calcabis Mortem, *de* Mortis* Fratre *triumphans*
Si Sopor *est Virtus?* Mors *quoque victa cadet.*
Ad Vitam vigiles *revocabis* Morte Sopitos
Quem Vis, & Virtus T *vigilare facit.*

* *Somnus Fr: Mortis.*

Et

Et hinc Te *merito* Medicina coronat Honore,
D*um* *Tibi* Cor ornat; *Téq;* Coronat Honor.

ità cecinit
Antiqvus & sincerus Collega,
Paulus Laurentius Stehlik,
M. Doct:

Nobili ac Generoso Domino
MATTHÆO JOANNI FRISCHMANN, de Ehrencron, pro Suprema Doctoratûs Laurea certanti.

UNdique perduris Armatos ecce lapillis
Quos Tua Te contra Lithotomia tulit.
Sed cave, succumbas proprio nè fortè periclo,
Fortem demonstrent fortia gesta virum.
Et si præteritûm dulce est meminisse laborum,
Hinc lapides tere, si triveris, hîc vir eris.
Ast quid amabo petis, tanti quæ meta laboris?
Crescat ut ex duris Laurea, surgat honos!
Surgat & accrescat base sub præstante lapillo,
Et Tibi cum patria familiæq; Tuæ.

ità accinit
Germanus semper Amicus
A. N. W.

IL-

ILLUSTRISSIMO DOMINO DOMINO

JOANNI PAULO LEOPOLDO,
Libero Baroni de Walderode,
Domino in Repin, Lieben, Augezd,
Czwirczowitz, Stiepanhoff, Teutobielam, & Krzetin, &c.

Cæsareæ, Regiæq; Maj. Aulicæ & Boëmicæ Cameræ

CONSILIARIO

nec non

Feudalis & Cameratici Judicii in Regno Boëmiæ Assessori, &c.

Domino meo gratiosissimo.

ILLU-

ILLUSTRISSIME DOMIME DOMINE BARO

Mecœnas Gratiotiſsime, Fautórque Colendiſsme, &c.

TAndem â varijs huculq; lapidibus oppreſſus feliciter reſurgo, & diuturnum rumpo ſilentium; poſtquam *â corde meo* nuper *magnus lapis revolutus eſt*, quod & ipſi Excellentiſſimi Domini animadvertere viſi ſunt Profeſſores: *Viderunt enim revolutum lapidem.* *Marc: c. 16.*

Ordinarius modernæ curiæ jam ſtylus eſt:

Audaces fortuna juvat, timidóſq; repellit.

Fruſtrà eſt tētare licet, ſeriùs aut citius trito vulgi adagio ſatisfaciendū eſt: *à Juvene Medico novū cœmiteriū adimplendū*, Veſpillioni ali-

oquin otioſo laborem procurandū eſſe; Et hoc in principio potiùs ipſo haud improbante Senecione noſtro Hyppocrate: *In principio ſi quid movendum videtur move, tardare autem malum.* Tot annis in ſola theoria Medica pausâſſe ſat ſit: *Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum*; inſuper *cùm vita hominis brevis, Ars Medica longa, occaſio præceps, experimentum difficile.* Reperinè Jlluſtriſſime Dominè Domine Mecœnas Gratioſiſſime, *in conſpectu TUO gratiam*, ut auſim confractam ſilentij mei rupturam Tibi ſubmiſſiſſimè adaperire: En aliquot annis in profundiſſimum theoriæ Medicæ me immerſi pelagus, ubi non duntaxat in macrocoſmo mirabilem quinque lapidum pretioſorum, aliarúmque ſine numero Unionū

Sect: 1. Aph: 29. 4. Acut: 20.

Sect: 2. Aph: 51.

Sect: 1. Aph: 1.

Esth: 4.

nota-

notavi nō tam ſtructuram (mirabilis enim Dominus in Operib⁹ ſuis) quàm diſtinctam cujuſque virtutis obſervavi executionem. Verùm & in Microcoſmo miram offendi lapidi ſimillimam compagem, *qui tamen humano generi poſitus eſt in ruinam.* *Qui & ipſiſſimus hodie, quem omnes reprobaverunt, datus eſt mihi in caput Anguli*, volo dicere, in diſquiſitionem publicam pro acquirenda Doctoratûs laureola. At! quo hunc volvam? anxius hæret animus: *Quis enim in caput ſuum ſinet jacere lapidem?* Abſit itaque à me jactus: paratus nam ſum cū Jacob *ferre lapidis onus, quod impoſuerat Excellentiſſima Facultas capiti meo.* Tuis verò pedibus Fautor Colendiſſime *Lithotomiam* meam infinitimis titulis

Lucæ 2. v. 34.

Pſalmo 117.

Gen: 28 v. 18.

TIBI obligatus percalcandam ſupponere, offerre & dedicare volui, caute tamen, *nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum*, in qua, ſi forſitan, tempeſtuoſus meme obrueret impetus, famoſiſſimo Jlluſtriſſimi Tui Stemmatis occurre ſigno, efficaciſſimóque contra tempeſtates *Antidoto Hiſpanicâ Cruce* mihi inclamando: *In hoc ſigno vinces.* Si verò jamjam viribus ſcientiæ me deficere contingeret, fortiſſimum porrige *Cardiacū*, noſcam in tempore: *Ex Ungve Leonem.* Si autem minùs habens invenirer: *Sub Umbra Alarum Tuarum Aquilarum, nè confundar, protege.* Si *in campum* diſceptationis *ingreſſum* me conſpexeris, mediante *Tuâ Corygia*, firmo Unionis inſtrumento, nè cum congrediente meo diſtem ad *unicum* quidem ja-

Pſal:90. ṽ. 12.

Pſal:90. ṽ. 12.

Ezech:3. ṽ. 33.

jactum lapidis, trahe & contrahe, ex hinc resultet: *Vis unita fortior.* Si denique me nimiùm impugnatum cerneres, succursum suppedita, supportantes Gentilitios submittendo lupos, *nè homo homini sit lupus*, aut nè fortasse ipse habear *lupus in fabula.*

Præmunitus his omnibus, quid superest, nisì Te ad oblatam Lathomiam inducam. Tu introductus collectorum inter se lapidum strepitus aure Gratiosissimâ excipe; ego verò ad jactus eorundem excipiendos me sisto; Interim præsens gratiosissima Patientia Tua lapidū locô colligat Uniones. DIXI.

ILLUSTRISSIMI DOMINI
DOMINI
Mecœnatis Gratiosissimi

Æternum obligatissimus Servus
MATTHÆUS JOANNES FRISCHMAN
de Ehrencron.

De Calculo Renum & Vesicæ.

EXistunt in Corporibus nostris fodinæ, non illæ quidem ad ædificandam, sed potiùs ad diruendam totius Corporis humani fabricam institutæ. Nulla est corporis nostri pars, in qua lapides generari nequeunt, in capite, in lingva, pulmone, corde, ventriculo, jecore, liene, intestinis, mesenterio & Utero: At per Antonomasiam & Catexochen, cùm dicuntur, in Renibus aut Vesica generari intelliguntur, quia in his partibus frequentiùs generantur.

Ut Renes segregando sero destinati Corporis universi excrementa, ob situm declivem, actionem communem, & viarum ingredientium amplitudinem promptè cum eo suscipiunt, ità sæpè obstruuntur â crassis humoribus, arenulis & calculo, qui quàmetsi multis quidem in locis, quia tamen in Renibus & Vesica, quæ veluti calculorum domicilia sunt,

ſunt, tum frequentior, tum grandior, ſolidiórque provenire conſvevit, de his ob utriúſque affinitatem conjunctim agemus.

Calculi Nomēclarura

CALCULUS â calce derivatus eſſe videtur, quaſi corpus ſit concretum, veluti calx in lapidem, omnium ferè nationum vernaculâ lingvâ metaphoricè â ſimilitudine rerum externarum ſic dicitur, quòd calculum vel lapidem referat, & cuivis accuratè intuenti lapidis cujuſdam ſpecie ſenſibus imponere poſſit. Græcis dicitur Lithos, qui ab eo infeſtantur Lithantes; Dicitur & Lithiaſis, ſeu calculoſa diſpoſitio aut affectio; At ubi in Renibus hæret, Nephritis appellatur, ducto nomine ab ipſis Renibus, qvos Græci Nephros vocant, nonnulli tamen Nephriten pro Renum tantum inflammatione, & Lythiaſin pro Veſicæ calculo peculiariter uſurpant; At nos communem modū loquendi retinentes, Nephriten Renum, & Lythiaſin Veſicæ affectionem â calculo oriundam ſtatuimus.

Defi-

Calculi Definitio. Definitur Calculus, Corpus solidum & durum toto genere præter naturã ex succo crasso terrestri, tartareo & salso, in Renibus potissimùm & Vesica, stupore affectis, in lapidis formam concretum, obstructiones ac distensiones inferens.

Diximus corpus solidum, & durũ in lapidis formam concretum, ut distingvatur ab alijs rebus præter naturam, quæ quàmvis aliquam duritiem obtineant, ùt tophi, calli, verrucæ, non tamen illam formam referunt, quàm in lapidibus conspicere est.

Ex hac Definitione patet, quòd calculus non sit morbus ut quidam autumant, sed causa morbi Organici, Obstructionis videlicet Renum & Vesicæ.

Partes Affectæ. Partes affectæ, seu calculo subjectæ, sunt Urinæ Organa, Renes nempe & Vesica, cum intermedijs Ureteribus, & quandoque ipse Urinæ in pene canalis.

Cùm verò Renum compositio sit heterogenea, quæritur, in qua parte Renis generetur: An in ipso Parenchy-

chymate, aut substantia Renum, an vero in sinu? Nos Galenum sequentes in utroque posse fieri asserimus. Ità post Galenum observavit Forest9, Fernelius Pathologia, Eustachius Rudius, Felix Platherus & alij multi nobiscum.

Lib:24. Observ: 16. Lib: 6. cap: 12. Cap:15.

Causæ sunt proximæ vel remotæ. Proximæ internæ sunt causa materialis & efficiens, quibus cum Beverovicio adjungimus causam sine qua nō, quam alij coadjuvantem vocant. Remotæ sunt causæ, Antecedens & procatharctica.

Causæ Calculi in genere.

Calculo materiam præbet crassus, limosus, terrenus, & fœculentus succus salinus, quem Hermetici Tartareum vocant. Fœculentus is succus fit ex alimentorum crassorum & terrenorum fœculentia. quæ ad vasa delata, cùm sero ad Renes & Vesicam amandatur, ubi, quod tenuissimum est, transilit, & percolatur, crassum verò quasi fœx quædam asservatur, quæ nisi tempestivè illinc exciderit, huic vel illi parti se agglutinat, vel inhæret, vel innatat, diutiúsque restitans incalescit, sensim exic-

Causa Materialis.

catur, & in Arenulas concreſcit, ùt ſæpè in matularum fundo videre licet. Ulteriori morâ factâ per novum materiæ appulſum coagmentatione aſſiduâ increſcunt, & accedente humore quodam viſcido, tãquam viſco & glutine interjecto coagulantur, & in verum calculum convertuntur. Vel ex propria Renum præſertim calidorum vitioſa nutritione, recrementum relinquitur, quod diutiùs reſtitans incaleſcit, lentè exſiccatur, & ùt aqua limoſa in Antris ſtillans, pendula ſenſim concreſcit in lapidem.

Hermetici ſtatuunt calculi cauſam materialem Sal Tartareum, ex terreſtri & ſalina conſtans materia, quæ in Renibus ac Veſica ſeparata, neq; excreta, ſive peccet copiâ, ſive deficiat expulſio ipſius naturæ, & acceſſu partium Salino-tartarearum in coagulum fatiſcant terrenæ & fixæ naturæ.

Hermeticorum Tartarus in corpore humano, duplex obſervatur, reſolutus, & concretus. Reſolutus per congeſtionem lentam congregatur, vel

vel ex alimento cui priùs & poſteà humori, qui ex alimento provenit, inſidet, vel ex aſſiduis cruditatibus, ob errorem externum, vel intemperiem viſcerum maximè hepatis & Ventriculi diſcraſiam cumulatur, ad vaſa delatus ſanguini commiſcetur, à quo in Renes & Veſicam pariter cùm ſerò illapſus & dejectus, matularum parietibus & fundo, ſalſis Chymicorum cryſtallis ſimiles Arenulas deponit, vel factâ ejuſdem in Renibus aut Veſica mora ad coagulationem ulteriorem tendit.

Cauſa efficiẽs. Cauſam principaliter efficientem ſtatuit cum Hipp: Galenus, calorem ſiccitati conjunctum; iſque vel paulò vehementior, ùt in juvenibus; vel remiſſior, ùt in pueris & ſenibus, qui morâ longiori idem efficit, quòd intenſior majori celeritate. Quippe tenui parte abſumptâ, limoſam & terreſtrem deſiccat magis, compingit, cogitque in Arenulas, & eas glutinis cujuſdam ope in calculum convertit, ùt docet Galenus de Alimentorum facultatibus. *Lib: 1. c. 3. & L. 3. c. 17.*

Hermetici exiſtimant tartareo-

 ſali-

ſalinam Calculi materiam citra extraneum calorem ſuapte naturâ cooperante ſalis microcoſmici, vel materiæ concreſcentis ſpiritu, qui ſecundùm Paracelſum, omnis coagulationis eſt opifex, ad indurationem & coagulationem vergere, utì in Vinis tartarea materia, Spirituum ſalinorum vino inviſibiliter inſitorũ poteſtate, in tartarum cogitur, coagulatúrque, & non raró in frigidiſſimis quibuſdam fontibus ipſa ligna lapideſcere videntur.

Lib: de Morb: Tartar: cap: 9.

Cauſa ſine qua non.

Causâ adjuvans, quam Beverovicius ſine qua non vocat, eſt, cauſa nõ quidem efficiens, nec materialis, ſed qua abſente etiam ij, qui alimentis calculo præbendæ materiæ aptis veſcuntur, â calculo tamen immunes ſunt, quia materia non tamdiu moratur, ut coagulari poſſit, quæ ſecundùm Beverovicium ſunt Renum denſitas, & meatuum conſtrictio, materiæ moram adferentes. Avicenna addit ſegnitiem, ſeu ſtuporem facultatis expultricis, quæ noxios humores tempeſtivè excludere non poteſt. Ex quibus conſtat, non ſufficere ad

Tom: 1. fen. 18. Lib: 3. cap: 16.

Litho-

Lithogenesin præsentiam causæ efficientis & materialis, sed præterea requiri materiæ aptæ cunctationem, quàm partis imbecillitas, densitas, adstrictio, atque meatuum Angustia vel obstructio cohibeat: his quippe retentus crassus, limosus, tartareo-salinus succus, caloris vi tenui parte dissipatâ, cogitur, ac tandem in lapidem concrescit.

Causæ remotæ internæ

Remotæ causæ internæ sunt temperamentum calidiùs, quòd biliosum dicitur, viscerúmque præcipuè Hepatis & ventriculi dyscrasia. In Ventriculo dum cibus non benè coquitur, excrementáq; non probè segregantur, atque excernuntur, chylus inde crudus, & ex eo sangvis fœculentus generatur, qvum coctionis primæ vitium non corrigatur in secunda, minùs in tertia. Huc Symbolum suum conferunt intemperies calida & sicca Hepatis, à qua succus fœculentus primum adustionis & tartarisationis rudimentum accipit, renum ac reliquorum viscerum, quæ naturali facultati inserviunt, connata, â qua adustus chylus, absumptis

partibus humidis ſangvini terreſtris ac tartareæ naturæ materiam in ſabuloſam concretionem proclivem ſuppeditat. Huc pertinet quoque hæreditaria ad calculum generandũ diſpoſitio petrifica, quam, ſi quis à Parentibus contraxit, vix calculi vitium poteſt effugere; nam ùt:

Qui viret in folijs venit à radicibus humor,
Sic Patrum in Natos abeunt cum ſemine morbi.

Cauſæ remotæ & procatharticæ. Cauſæ externæ & Procatharticæ ad calculi generationem concurrentes ex Rerum non naturalium vitio, vel irregulari uſu præcipuè reſultãt. Sic ingluvie ciborum varietate ſaturata obrutus nativus calor coctionis author, copiâ diſtrahitur, & inde cruditas oritur. Quam ob cauſam Hipp: *6.Epid:* apud pueros utpote guloſos frequentiùs Veſica calculo laborare ſcribit. Et Galenus in Commentario hujus rei cauſas ſtudiosè inquirens, ait, non parùm deberi nimiæ ciborum ingurgitationi, cui infantes, præcipuè ij, qui omnia, quæ ipſis offeruntur, vel appetunt indiſcriminatim ingerunt, dediti

diti sunt. Hisce non leve adminicu-
lum suggerunt alimenta crassi & vi-
scosi succi, salsóque excremento re-
ferta, ùt panis non benè fermenta-
tus, aut malè coctus, Azymus, Oryza,
Amylum, carnes animalium ejus-
modi crassum, viscosum & lentum
succum præbentes, quales sunt bubu-
læ annosæ, suillæ, inprimis, quæ sale
ac fumo induratæ, Aves lacustres, ùt
Anates, Anseres, Ova indurata, Ca-
seus vetus. Pisces verò omnes ma-
ximè grandiores, pingves, glutinosi,
ùt Carpiones, Angvillæ, Haleces,
Salpa, aliíq; squammis carentes. Vi-
norum Ungarici, Austriaci, Moravi-
ci & Franconici tartaro-abundanti-
um ingurgitatio, Vinorum austero-
rum immaturorum, nigrorum, cras-
sorum inprimis musti usus etiamsi
sat moderatus, plurimùm confert.
Calculo itidem materiam præbet ce-
revisia recens & fœculenta, nec non
Aquæ turbidæ, palustres ex nive li-
quatæ, & quibus materia lapidescens
permixta est. Insignis de his locus
apud Hippocr: Lib: de Aëre, Locis &
Aquis. Sed non omnes, qui hujus-

modi ratione victus utuntur, calculosi fiunt, quia requiritur etiam partis dispositio & causa sine qua non, quam diximus Renum vel Vesicæ esse stuporem, seu, obtusum eorum sensum, ratione cujus tam diu materia fœculenta moratur, ut in Arenas & calculum facescat.

Motus intempestivus & equitatio mox à cibo sumpto, calorem coctioni incumbentem foras evocant, Chylificationem turbant, crudioremque succum per genus venosum rectâ viâ ad Renes & Vesicam deducunt, ubi postmodum moram si duxerit à calefactis Renibus exsiccatur, & multis quasi lamellis in lapidem concrescit & coagmentatur.

Excernendorum retentio ad calculi Renum tum Vesicæ generationem confert: sic Urina si comprimatur Vesicâ plenâ ex Ureteribus & cōsequēter à Renibus justo tardiùs prolicit, ac proinde in Renibus diutiùs moratur: vel mucus Tartareus & Arenæ à Renibus in Vesicam deciduæ in Calculum coagmentantur.

Diffe-

Differentiæ Calculi petuntur à loco affecto. Calculus vel generatur in Renibus, eorúmque vel cavitate, vel substantia, vel in Vesica. Vel ab ætate, sic renum Calculus senibus frequentiùs accidit: Vesicæ pueris. Vel à magnitudine, sic alius major, alius minor. Vel à substantia, sic alius durior & densior, alius friabilis & spongiosus, alius lævis, alius asper, alius friabilis, alius omninò durus & non nisi ægrè solubilis. A colore alius rubet, alius albescit, pauci nigri. A figura sic alius est rotundior, utì solet esse calculus Vesicæ; asperior ùt Renum, longior, ùt Ureterum. A modo generationis sic alius est hæreditarius, alius acquisititius ab erroribus in victus qualitate, quantitate & modo.

Differentiæ.

Ad dignoscendum calculum tria tempora observanda sunt: *Generationis, mansionis*, & *exclusionis*. Generationis dolor est inflammativus, mansionis dolor est fixus & gravis ad infimam costæ nothæ radicem lumbos versus pertingens, & per ejus ductum fertur. Quorum trium temporum

Signa Diagnostica Calculi Renũ.

porum habitâ ratione insistēdo Hyppocr: *in prænot*: *Coac*: calculi fixi Diagnosci statuitur.

Calculi fixi Diagnosis. Primò, dolor Gravativus & fixus circa lumbos percipitur modò in latere dextro, modò in sinistro, modò in utrōque, prout in alterutro Renum, vel utroque Calculus fuerit.

Accedit etiam torpor, seu, stupor cruris è directo Renis laborantis ob compressionem nervi illius, qui in musculos lumbares inseritur, qui musculi renibus substernuntur, indéque ad crura eòrundem motui inservientes deferuntur, non tantùm femur torpet, sed quandoque ità tota spinalis medulla distenditur, ùt eam Nephritici vix absque dolore flectere valeant. Dolor ab assumpto cibo, à distento Ventriculo & intestinis renes comprimentibus augetur, quibus exinanitis mitigatur.

Calculi moti Diagnosis. Calculi moti primum signum est acutus dolor in Renem, & lumbos ingruens, qui intenditur dum Calculus Ureterem ingreditur ob Angustiam & sensum exquisitum Ureteris. Contigit aliquando ùt dolor acutus, quem

quem Calculus principio Ureteris impactꝰ infixerat ad tempus aliquod quieſcat. Quæ quidem quies triplicis eſt generis. Prima & non optanda cùm lapis ex anguſto Ureterum principio in ampliorem Renis cavitatem, unde movebatur, recedit, aut cùm lapis plùs juſto major hæret medijs Ureteribus, quod rarum eſt, natura ab impulſu continuò defeſſa, feri-ante. Secunda quies, cùm lapis in Veſicam ingreſſus eſt, tunc autem non ampliùs revertitur dolor Nephriticus quamvìs alius reſtat perferendus. Tertia omnium eſt optatiſſima cùm lapis ductum mentulæ ingrediens â lotio foras propellitur. Quod ſemper procurandum eſt, qui Nephritiden paſſi ſunt, nè lapis moram faciens in Veſica grandior factꝰ exire deinde prohibeatur. Animadvertendū præterea, quòd licèt calculus in Uretere ſit, imò jam in Veſicæ latus deſcenderit, adhuc tamen dolores percipi in lumbis ob continuationem Ureteris cum ipſo rene; Urinæ cum ardore emittuntur ob ſálſuginoſos humores Arenulis con-

ſperſos â materia tartarea, ſalſa, & acri ortum trahentes, Renúmque Parenchyma incaleſcentes. In extremitate glandis præcipuè Ardor percipitur, quia inibi eſt fovea exigua ſenſilis, unde pruritatur ab Arenulis relictis, non ſecùs quam Gonorrhæa virulenta laborantes à corrupto ſemine. Omnium certiſſimum ſignum eſt Calculi & Arenularum excretio. Vulgò Arenularum excretio habetur pro ſigno calculi fientis aut ſoluti. Verùm hoc non adeò certum eſt, obſervatum enim eſt, multos à pueritia cum Urina Arenas excreviſſe, & nunquam calculo laborâſſe, non rarò enim Arenulæ proveniunt ab induſtione humorum in Hepate & Venis, quorum particulæ craſſiores & tartareæ arenularum formam æmulantur & cum ſero in Venis contento ſeparantur, antequam invicem cohærent, expelluntur à facultate validiore expultrice Renum, aliorúmque vaſorum Uretericorum. Tales Arenulæ parietibus matulæ decaleſcente Urinâ ſe apponunt, & manibus contrectatæ faci-

facilè ſolvuntur, ſalinámq; ſubſtantiam referunt. Quæ verò Arenulæ calculum redolent, ſubſident in fundo matulæ, antequam Urina frigeſcat, & ſi digitis comprimantur non facilè cedunt.

Secundum ſignum eſt teſtis retractio ejus lateris, in quo dolor eſt. Renes enim & Ureteres doloris vehementiâ irritati ſeſe validiſſimè contrahunt, & ſimul vaſa ſpermatica partéſq; vicinæ teſticuli contrahuntur, ut teſticulus ingvini aliquando infixus videatur.

Tertium ſignũ eſt nauſea & Ventriculi ſubverſio, quæ aliquando tanta eſt, ut omnem faſtidiat cibum, & ingeſtum ſtatim unà cum pituita eructet & mox aucto dolore bilem flavam & æruginoſam evomat, cujus rei cauſa eſt conſenſus Renum cum Ventriculo dependens à communitate membranarũ peritonæi & nervorum plexus ſextæ conjugationis, cujus duo Rami à ſtomacho in tunicam Renum interiorem implantantur.

Quartum ſignum Calculi moti petitur ab Urina, quæ plerunq; in principio Paroxiſmi ob pertinacem Ureteris obſtructionem cruda, tenuis, & aquea exiſtit, quam interdum ſuppreſſio integra ſubſequitur, & dum ſolvitur Paroxiſmus & Calculus, qui Ureteri erat impactus, in Veſicam deſcendit, Urinæ craſſæ, turbidæ, ſub nigro colore tinctæ & copioſæ excernuntur cum ſedimento arenoſo & lapilloſo. Aliquando Urina cruenta prodit quando, ſi renibus fuerit acretus calculus, avellitur, vel ubi ex pelvi renum ſe movere incipit & anguſtiam papillarium proceſſuum perrumpens carnem dilatat, & ex ejus Venulis ſangvinem elicit.

Signa Calculi Veſicæ. Signa Calculi Veſicæ non tam facilè in principio apparent, grandior verò factus Calculus ſatis evidentes præſefert notas. Hypp: de Morb: ait; quinque ſigna hunc morbum habere ad ſui cognitionem. Primus dolor affligit, cùm quis mejere incipit. Secundò, Urina paulatim fluit, ut in ſtranguria. Tertiò, Urina eſt ſubcruenta, ſi à lapide exulceretur

col-

collum Veficæ. Quartò, fumma præputij pars confirmat hoc. Quintò, arenofa quandóque ineit. Quæ omnia à CornelioCelfo fic illuftrantur: Difficulter Urina mittitur, maximè circa finem mictionis, paulatímque fine voluntate interdum deftillat, eadem arenofa eft, nonnunquam fangvis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur, eámq; quidam promptiùs recti quidam refupinati, maximéque hi, qui grandes habent Calculos, quidã etiã inclinati reddunt, colémque extendendo dolorem leniunt, gravitatis quoque cujufdam in ea parte fenfus eft atque accurfu, omníque motu augetur. Quidam etiam, cùm torquentur, pedes inter fe fubinde mutatis vicibus implicantur. Fœminæ verò crus naturalium fuarum manibus fcalpere crebrò coguntur. Addit Hyppocr: lib: de Aëre locis & Aquis: Dúmque Urina emittitur ab Urinæ vi propulfus ad Veficæ os collabitur calculus, & urinam impedit. Proindéq; Pueri Calculo laborantes pudenda confricant & vellicant, quòd

ipfis

ipsis reddendæ Urinæ causâ eo loco esse videatur. Idē Hypp: aliud adfert Vesicæ Calculi signum: Quibus in Urinis arenosa subsident, his vesica calculô laborat, sed Cardanus in Comment: ejusdem Aphor: testatur se annis triginta primò Arenulas rubras, postmodùm albas quotidiè copiosè excrevisse sine ulla Calculi Renum, aut Vesicæ suspicione. Quod etiam comprobat Joan: Dravvitzius. Duretus Comment: supra Coacos de morbis Vesicæ hæc signa sylogistica se observâsse, scribit: Crebra mejendi cupiditas cum difficultate maxima, in mictione extrema cum Urina lactea, crebrò etiam diversis coloribus variegata. Verùm Urina lactea non est signum Calculi Vesicæ conclusivum, utì River: c. de Calculo ex Cardano refert, & ex Timæo*, & Dravvitzio Tit: 9. comprobatur.

Aph: 79. Sect: 4.

Libel: de Scorbuto lib: 9.

** Lib: 4. c. 43.*

Denique Catheter in Vesicam demissus aut digitus index vel medius impudicus in Anum intrusus, & versus Vesicam compressus, Calculi Vesicæ præsentiam monstrabunt.

Calcu-

Calculi Vesicæ signa propria sunt hæc: 1. Mictio crebra, adeò, ut candē assiduò mejendū víxque possit Urina cohiberi. 2. Urinæ sub cursu suppressio obviam impulso calculo. 3. Tenesmus, quòd Vesicæ cervici consentiat anus. 4. Dolor, alias universum pudendi ductum, alias glandem solam affligens, ísque acerrimus sub emictionis finem, cum calculus Urinæ cursu incitatus, quasi proditurus, Sphincterem violentiùs comprimit. 5. Pudendi pruritus & erectio. 6. Sabulosa in Urinis subsidentia, cui lutosum sive Argillosum quid, veluti narium mucus matulæ fundo tenaciter inhærescit. 7. Denique Catheter in Vesicam demissus, aut digitus index, aut impudicus in anum intrusus, & versus Vesicā compressus, calculi Vesicæ præsentiam indicabunt.

Signa Calculi Vesicæ.

Quibus autem signis dolor Nephriticus à Colico distinguatur propter ejus cum illo affinitatem, multis Medicis negotium fecit, ipsúmq; Galenum decepit, ùt fatetur ipse. Dicendum tamen hos affectus inter

Signa distinctiva à Colica.

Lib: 2. de loc: Affect:

 se

ſe primò diſtingui, quòd dolor Nephriticus ſit in Rene fixus, & ab eo in teſtem ſecundùm Ureteris longitudinem uſq; ad veſicã exporrigatur; Colicus verò vagus & cinguli inſtar mediũ Ventrẽ affligat. Item etiã in Colico vomitus, dolor & alia Symptomata ordinariè ſunt vehementiora, docente Galeno. Fatendũ tamen eſt ex doloribus Nephriticis colicis quosdã eſſe graviores quibuſdã doloribus ijs, ſcilicet, qui primâ vice tentantur hujuſmodi doloribus nephriticis. In Nephriticis adeſt Urinæ ardor, qui in Colicis rarò contingit, nisì inteſtini inflammatio superveniat, quæ collo Veſicæ communicari poſſet. In Colico primò Urinæ apparent craſſiores, cujus contrarium evenire ſolet in nephritico dolore, his, ſi accedat lapillorum aut arenularum calculum redolentiũ excretio dubium ſolvit.

Prognoſis utriuſque Calculi. Infantes Calculo Veſicæ frequentiùs tentantur quàm Adulti, propter ingluviem, & faciliùs ſanantur, ſenes verò quo magis decrepiti, eò difficiliùs. *Renum* enim *& Veſicæ vitia in valdè ſenibus difficulter ſanantur.* *Aph: 6. Sect: 6.*

Fœ-

Fœminæ rariùs quàm masculi Vesicæ Calculo laborant propter viæ brevitatem & rectitudinem cervicis vesicæ, per quam cruditates expurgantur, & ob menstruorum beneficium. In Viris, præcipuè senioribus, Vesicæ Calculus à Renibus sæpissimè principium habet, moram faciens in Vesica post Nephritiden.

Qui ventres habent molles, & vomitu sæpè purgantur, Calculo sunt minùs obnoxij. *Quibuscunque bullæ in Urina natant nephritica mala, diuturnámque fore Ægritudinem significant.* *Hypp: 7 Aph: 34*

Cùm quis primâ vice doloribus Nephriticis afficitur, sævissimis cruciatur doloribus, licèt parvus sit lapis, multóque magìs, si fuerit asper. Alijs autem vicibus non, item nisi lapis sit grãdior solito, & ad hoc asper.

In Renibus dolor acutus fit motu lapidis, gravis cùm manet immotus, solétque esse transitus ab uno dolore ad alium.

Renum dolor repentè obortus cum Urina suppressa, lapillos aut crassam Urinam mejendo ostendit. *Hyppo: in Coacis L. 4.*

In Nephritide ſenſus ſubitò rei pungentis ùt aculei in Regione Vreteris ſignum Calculi hac parte impulſi certiſſimum.

Sedato dolore Nephritico ſi lapis in Veſicam non deſcendit, ſolet reverti.

Vrinæ primò tenues, poſtmodum craſſæ cum Arenulis in fundo ſubſidentibus, morbi ſolutionem ſignificant.

Duretus ſupra Coac: c. 3. Tract: 4.

Renum, quibus ſocius langvidus effætus & marcidus eſt in læva nephritide Vrina ſupprimitur.

A lapidibus via Vreteris utrinque occluſa, fit interdum incurabilis Vrinæ ſuppreſſio. Si lapis in Renibus genitus non expellatur, grandeſcit, & procedente tempore Ren tumet, & diſrumpitur.

Quando in renum Calculo Vrina tenuis & ſubtilis apparet, morbum contumacem oſtendit, & ſi dolor augeatur, nulláque fiat lapidis ſolutio, de vita dubitandum. Si dolor Nephriticus ad multos dies perſeverat, neque ullis medicamentis cedit, mortis adeſt periculum.

Deni-

Denique dolor Nephriticus non vacat periculo: gravissima mala, inflammationem, febrem, exulcerationem, Vrinæ suppressiones, aliáque Symptomata inferre potest, ex quibus mortis periculum impendet, eámque in propinquo esse significat, sudor frigidus faciem occupans.

Lapis Vesicæ aliquando morbus est hæreditarius, qui difficulter vel nunquam curatur.

Calculum Vesicæ sæpè detegit Urinæ difficultas.

Calculi Vesicæ dolor postquam quievit, repetit.

Calculi Vesicæ dolores internarum hæmorhoidum dolores repræsentant, multò tamen sunt atrociores & frequentiores.

Ex Calculo Vesicæ semper impendet periculum, quomodocunque res se habet, remotum, si ità parvus sit, ut nulla aut exigua perinæi gravitas, nulla ambulandi impotentia, somnus non interturbetur, nulla virium dejectio accedat. Proximum si his contraria eveniant.

Calculi Vesicæ dolores licet intolerabiles, diu tamen trahunt per multos annos, fractis demum viribus & Vesica magnitudine lapidis attritâ mors sequitur, factâque Vrinæ suppressione maturiùs tolluntur ægrotantes.

Calculus Vesicæ grandior & confirmatus medicamentis vix cedit sed sola sectione extirpatur, non sine vitæ periculo.

Calculi Curatio. Calculi curatio dupliciter institui potest: aut absenti, qui metuitur; aut præsenti jam calculo: & rursùm quatenus hic quiescit, vel in ipso motu est, & ab ipsa renum facultate protruditur, debetur. Hinc cura *prophylactica* seu *præservativa*, quæ generationis, & *Terapeutica* seu *eradicativa*, quæ mansionis tempore convenit. Eradicativa porrò, absente, aut præsente dolore celebratur. *Gal: lib: 11. Meth: Med: c. 2.*

Prior eradicativa absolutè dici solet: Posterior, qui Calculo moto debetur, doloris Nephritici Curatio ab Authoribus nominari consvevit; quæ constat curatione mixtâ, scilicet *lenitivâ* & *Terapeuticâ*.

Præ-

Præservandi Calculi ratio in hoc posita est, ut succus crassus, viscidus, & terrestris, salsus, & tartareus vel non gignatur, vel si gignitur, ad renes & vesicam non descendat; vel si transeat, non retineatur, vel si retinetur, in calculũ non concrescat. Quæ tribus potissimùm instrumẽtis absolvuntur: *Dietâ* nimirùm, *Pharmaciâ*, & *Chyrurgiâ*.

Prophylaxis Calculi

Bona Victus ratio in prophylaxi ad materiæ, & efficientis causæ declinationem dirigenda est. Materia est varia, ut ex dictis constat; Efficiens verò est calor & siccitas renum, & eorundem stupor, ex quo segnities in expellendo resultat. Vitanda igitur, quæ illam generant, & quæ hanc emendant, & corrigunt, adhibenda. Generant autem eam aër crassus & nebulosus, alimenta crassi, viscidi, salsi, tartarei, & terrestris succi: Hanc, quæ acria & præcalida sunt, vel inducunt, vel inductam fovent.

Diæta.

Illis cõtraria sunt, quæ in qualitatibus sunt tẽperata, evpepta & evchyma. Aër, qui ad vitæ necessitatem

sum-

summè necessarius, videtur crassus, turbidus ac nebulosus. Econtrà, eligatur aër purus, serenus, temperatus, & patientis naturæ familiaris, & amicus.

Si in ullo alio morbo, ità præcipuè in Calculo sobrietas, ac temperantia, vel cibi, potúsque moderatio in quantitate, qualitate, & modò assumendi requiritur. Nunquam utilis est nimia satietas, teste ipso Hyppocrate: *Non satietas, non fames, neq; aliud quidquam, quod modum naturæ excesserit, bonum.* Tantum enim cibi, & potus adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Utilis itaq; victus moderatus boni succi, & facilis coctionis habitâ semper ratione temperiei, & constitutionis corporum. Talia alimenta assumenda sunt oportuno tempore, prioribus coctis. Fugiantur omnia illa alimenta, quæ pituitam, terrestrem, tartaream, mucilaginosam, bolarem, & lapillosam materiam in corpore gignunt; ùt sunt, panis azymus, nec ritè coctus, animalium extremitates, intestina, aves aquaticæ, caseus glutino-

Sect: 2. Aph: 4.

tinosior, cibi salsi & fumo indurati, item omnia edulia, quæ habent facultatem admodùm acrem exsiccantem, ac calefacientem, nec non nimiùm salsa & Aromatibus condita: *Aromata enim multum faciunt ad tartari generationem*, ùt docet Paracelsus cap: 10. de morbis tartareis. Vitentur etiam Aquæ crassæ, limosæ, lacustres, ob quarum potum quibusdam locis Vernaculus, & Endemius calculus esse videtur. Vina multùm tartari habentia, pontica &c. Illis contraria sunt, ac proinde eligenda, panis ex optimo & puro frumento, benè fermentatus, & coctus à furfuribus non omninò depuratus, Brodia carnium, Gallinarum, & Caponum; juscula asparagi, petroselini, fæniculi, & cicerum rubrorum: Panatellæ, pulticulæ ex hordeo cum brodiis paratæ, Cremor seu ptisana hordei colata succo citri vel limoniorum ei impresso acidiuscula reddita omni manè quatuor aut quinque horis ante prandium assumpta, efficax est â Calculo præservativum.

Carnes agninæ, hædinæ, Vitulinæ, capreolorum, lepusculorum, cuniculorum, & quæ ex bobus juvenculis habentur. Ova tremula, & sorbilia, pipiones, pulli, capi, galli, Gallinacei juveniculi, gallinæ, columbæ, aviculæ,

 quæ

quæ in dumetis & montibus ſuum habent domicilium. Piſces ſaxatiles trutæ, funduli, lucij, percæ & alij, quorum caro tenera eſt & friabilis. Ex his parati cibi condiantur ſale tiliato vel fraxinato. Ramus major torna perforetur, ſale menſali impleatur, foramen utrumque cuneo incuſſo claudatur, igni opponatur, & lignum comburatur ad uſque ſalem, refrigeratum lignum dividatur, & exemptus ſal ad condiendos cibos aſſeruetur.

Potus ſit Aqua nullo bolo tartareo coinquinata, aut odore petrifico imbuta: Eáque vel ſimplex, vel cocta, cum radice Glycyrrhizæ Altheæ, aut Graminis, fructibusvè Cynosbathi vel cum ſemine Dauci, vel virgulis betulinis. Cereviſia ſit pura, bene defœcata è bonæ naturæ frumentis decenter præparata. Radices graminis quas Aratores ex ſuis campis ejiciunt conciſæ & cereviſiæ incoctæ, cereviſiæ vim viſcerum obſtructiones tartarum hypochondriacum, & renum ſolvendi imprimunt. Idem præſtant Virgulæ betulæ conciſæ, & incoctæ. Seminis Dauci unciæ duæ groſſè tuſæ urnæ cereviſiæ recentis injectæ, & ſimul fermentatæ præſervant à calculo, & ventris torminibus, de quo vide Joan: Bapti-
ſtam

ſtam Helmont: de Lithiaſi. pag. 653. Vinum maximè recens quod tartarum & fœculentias plurimas ſecum vehit, calculo & arthritidi accommodas fugiendum. Defœcatum verò & moderata quantitate aſſumptum, ſanitati gratum.

Somnus capiatur nocturnus non diurno tempore, *inter diu vigilandum, noctu verò dormiendum* niſi dormiendi urgeat neceſſitas aut cùm certis de cauſis noctu parum vel nihil quis dormierit; Sit autem nocturnus moderatus ſeptem, vel octo horas non excedens: juxtà id.

Hyp: 2. progn. 11.

Septem horis dormiſſe ſat eſt, juvenique ſenique.

Vigiliæ moderatæ ſpiritus excitant, calorem in omne corpus diffundunt, alimentum diſtribuunt, modum verò excedentes Spiritus exhauriunt, corpus ſiccant, & debilitant, calorem diſſipant ſicque læsâ concoctione cruditates pariunt ideóque haud immeritò vitandæ *Somnus enim & vigilia utráque ſi modum exceſſerint, malum.*

Hyp: Sect: 2. Aph: 1.

Exercitia corporis ſint quotidiana, eáque moderata, quæ calorem corporis per mutuam partium, attritionem & ſanguinis ac Spirituum exagitationem ſuſcitant, poros aperiunt, ſuperfiua vel

 edu-

educunt, vel diſcutiunt, alimenta diſtribuunt & ſiccando partes firmiores, robuſtioréſque reddunt; ſint quoque opportùno tempore inſtituta nimirùm ante prandium & cœnam ſecundùm illud Hyppoc: *Labores cibos præcedant.*

Otium, quod in deſidiam tranſit, calorem torpeſcere facit, corpus langvidum reddit, cruditates, & obſtructiones cauſat excrementorum diſcuſſionem ſiſtit; ac ideò omni ſtudio vitandum.

Alvus quotidiè ſit laxa. Quod ſi talis ſpontè non ſit, ſuppoſitoriis, cliſmatibus medicinis lenientibus, & laxantibus aut mollientibus alimentis ſolvatur. Quia verò tam exacta, exquiſitáque victus ratio obſervari non poteſt, quin ſuperfluitates generentur, quas natura non in omnibus ſubjectis evacuare poteſt, ſalutare ſanè conſilium eſt, ſi levioribus Pharmacis ùt caſſia fiſtula manna Terebinthina, Aloe lota, Senna, Rhabarbaro Agarico, quæ renibus ſunt convenientiſſima, ſingulis menſibus, aut quotannis binis vicibus verno ſcilicet, & autumali tempore expurgentur. Inter alia, quibus ſingulis menſibus alvus laxari poteſt, hoc convenientiſſimum eſt:

℞. Caſſ:

℞. *Caß: Aq: Violar: extract:* ℥vj.
Therebinth: clar: ℥ß.
pulv: Glycyrrhi: ℈ij. vel q. s.
M. f. Bolus; Quem si acutiorem reddere cupis adde *Mercurij dulc:* ℈ß.

Qui ad Vomitum proclives sunt, si circumstantiæ naturæ, ætatis regionis, & consuetudinis permittant, ijs vomitus aliquando promoveatur per Emeticum medicamentum. Quibus consuetæ Hæmorrhoides sunt suppressæ in illis moveantur, vim enim evacuandi, & derivandi habent Gal: Authore comment: 6. Aph: 11. Idem faciendum in sexu muliebri, quando retenta sunt menstrua.

Mictio prætereà sit libera, quia sic arenulæ minùs diu subsistunt; si autem hæc sit impedita, omni arte, & ingenio provocanda, quia nil pernitiosiùs accidere potest ijs à Calculo præservari volentibus, quàm Urinam ex rustico pudore præter naturæ leges violenter tenere, vel illam diutiùs quàm par sit, ex alia quadam causa suppressam habere. Promovebitur autem cum successu & euphoria, jusculis ex radice petroselini, vel Cherefolio confectis, vel therebinthina clara; ad ℥ß. cum pulv: radicis Altheæ, vel Glycyrrhizæ in bolum ef-

formata, vel cum vitello ovi in juſculo ſoluta: Cicera tartari Mynſichti, quorum uſum vide apud Authorem, commendantur.

Ad Prophylaxin etiam pertinent ea, quæ arenulas antequam coagulantur, extirpant, & ſi quid fortè calculi jam genitum ſit, nondum autem prorſus induratum, expellant: qualia ſunt Diuretica & Lithontriptica. Verùm in horum uſu ſequentes obſervandi ſunt canones: Primò, ut nunquam exhibeantur, niſi corpore priùs purgato. Secundò, ut præcalida & valdè ſicca vitentur. Tertiò, ne nimis frequens ſit illorum uſus. Quartò, nè inter prandendum, & comedendum uſurpentur. Quintò, ut ea præ cæteris eligantur, quæ vim habent citra inſignem calorèm incidendi, attenuandi, penetrandi & abſtergendi.

Famoſiora, & tutiora ſunt Acidulæ imprimis Spadanæ, Sualbacenſes, Ægranæ, Auſchowitzenſes in Dominio Teplenſi ſitæ, & thermæ Carolinæ potæ, quæ incidente, attenuante, aperiente, diſſolvente, & abſtergente virtute ſunt præditæ. Non abſimilis virtutis eſt ſerum lactis caprini cum ſuccolimoniorum præparatum, aut deſtillatum manè per plures dies aſſumptum. Succus betulæ, menſe Martio aut Aprili ex vulnerata betula

betula ſtillans, & depuratus, ad multos dies jejuno ſtomacho potus familiare eſt Germanis ad Rhenum remedium. Raphanus hortenſis in taleolas conciſus, ſale vel ſacharo conſperſus manè aſſumptus ſuperbibito juſculo puro à Calculo valdè præſervat. Vinum ſiliciatum album generoſum ſilicibus ignitis aliquoties affuſum, propinatum mirum in modum ſaburram tartaream, antequam ea concreſcat è renibus expellit.

Decoctum Nephriticum Foreſti per plures dies mane jejunio ventriculo hauſtum multa præſtitiſſe obſervatum eſt.

Ptiſana fructus Cynorrhodij ſeu roſæ ſylveſtris in furno, vel ad umbram exſiccati, multos à Calculo liberavit & præſervavit; ſed diu eâ utendum ait Borellus: Cujus rei cauſam affert Simon Pauli, quadri partito botannico p:6. Idem fructus Vino infuſi conſimilem ſortiuntur effectum. Lora Cynosbato-juniperina non inferioris eſt virtutis; ſed hæc eſt magis Diuretica, quàm ut cum cibis tutò concedi poſſit. Aqua Nephritica Ducis Lotharingiæ vires non contemnendas in exturbandis arenulis habet. Paulus de Sorbait: Aquam Nephriticam ex pomis Arantiorum, Limonio-

Obſerv: cent: 3. Obſer: 32.

moniorum, caſſia & ſerò lactis caprini deſtillatam extollit. Terebinthina cypria, & vulgaris noſtra utraque excellit in urina cienda & calculo præſervando, pellendóque ob balſamicam ac reſinoſam virtutem abſterſivam, Amathus Luſitanus affert exemplum de Monacho quodam Nephritico, & Arthritico, qui uſu Terebinthinæ ab his morbis liber evaſit. Quibus autem difficile Terebinthinam ad modum Luſitani aſſumere, eam ſuper laminam ferream ignitam aduſtam, & pulveriſatam doſi ʒ ij. ex Aqua Saxifragiæ aut jusculo ſumant.

Cent: 2. curat: 68.

Lignum Nephriticum eſt egregium ſpecificum contra renum Calculi & Veſicæ, ſecundariò ad jecoris, & lienis obſtructiones ex tartaro ortas etiam commendatur. Unde ejus infuſum in Aqua, & potum renes, & Veſicam mundat, Urinæ acrimoniam attemperat, & Calculos pellit. Hac Aqua aſſiduò utuntur Indi, eâ vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus ſine ulla humorum commotione.

Herba Thee Chinenſibus, aliàs nunc etiam Europæis familiaris, ventriculum roborat, renes à Calculo & arenis purgat, & Calculi dolores arcet, quibus in Japonia & China neminem dicunt obnoxium

noxium. Ea cum paucis Sacchari granis Aquæ infunditur, aut leviter decoquitur, & colatura propinatur.

Baccæ juniperi decorticatæ & singulis diebus jejuno Ventriculo deglutitæ varios à Calculi doloribus immunes reddiderunt.

Lapidi Nephritico ex Armenia allato in armillis, vel alio modo extrà corpori imprimis arteriis alligato, vel in lumbis gestato, stupenda vis adscribitur.

Topica. Unguentum Rosatum Mesue succo citri & modico oleo scorpionum malaxatum & inunctum renibus eorum intemperiem retundit, & arenulas generari prohibet.

Balneum Aquæ fluvialis dulcis corpore ad ultra lumbos usque ei immerso arenularum evacuationem, antequam lithescant, promovet, maximè si præmisso pridie Balnei aliquo catharctico appropriato & eadem Balnei die post assumptum aliquod præservativum specificum susceptum fuerit.

Calculi non moti Curatio, quæ eradicativa nuncupatur.

Calculi quiescẽtis Curatio.

Si prædictâ Calculi prophylaxi vel eadem neglectâ Calculum in renibus, vel Vesica coagulatum esse, ex prædictis signis depræhensum fuerit Cura Eradicativa instituenda, 1. Causarum procatharcti-

carum eliminatione. 2. Antecedentium Amotione: 3. Calculi jam coagulati ſolutione, & ejusdem ſolutarum partium exturbatione. 4. Partium ad ejus generationem, & coagulationem contribuentium corroboratione. Primum, & ſecundum obtinetur curâ Prophylacticâ, de qua antè. Tertium præmiſſis univerſalibus fit ſaxifragis & lithontripticis. Quartùm. Corroborantur partes ad Calculi generationem contribuentes, earum intemperiem calidam & ſiccam reprimendo, renum, & veſicæ ſtuporem excitando, odorem petrificum iis & alimentis impreſſum retundendo, & delendo.

Lithontriptica, & ſaxifraga Calculum coagulatum diſſolventia ac exturbantia quæ tertiò ſcopo promptiſſime inſerviunt, duabus continentur claſſibus; in priori collocata ſunt ea, quæ manifeſtâ qualitate, incidente nimirùm, attenuante, aperiente, & abſtergente ſunt præditâ; In ſecunda autem, quæ abditâ, atque occultâ qualitate operantur; Utraque vel ſunt *ſimplicia*, vel *Compoſita*;

Lithontriptica manifeſtis qualitatibus agentia.

Prioris Generis ſimplicia ſunt: Quæ etiam Diuretica nominantur:

Radices.

Radices quinque aperientes majores, ut

ut ſunt: radices petroſelini, fæniculi, aſparagi, apij, ruſci: Quinque minores: ut Graminis, Rubiæ, Eringij, Capparis, Ononidis his ſuper adduntur radices ſcorzoneræ, Helenij Saxifragiæ albæ, ſaxifragiæ majoris, pimpinellæ, filipendulæ, leviſtici, bardanæ, rubi, Valerianæ raphani *utriusque*, domeſtici & ſylveſtris Vincetoxici, Meu, Aſari, Glicirrhizæ, cæpæ Albæ, Allia.

Folia, & Herbæ: Parietariæ, rutæ murariæ, Capillorum Veneris, Herniariæ, Linariæ, Betonicæ, hederæ terreſtris, Chercfolij, Naſturtij hortenſis, & Aquatici, Phyllitis hyppuris, muſci terreſtris; Virgæ Aureæ. *Folia.*

Flores: Linariæ, Acatiæ, fabarum, Geniſtæ, Conſolidæ regalis, Camomillæ. *Flores.*

Semina: Petroſelini Vulgaris & Macedonici, quatuor calida majora ut ſunt: Aniſi, Fœniculi, Carvi, & Cumini. Quatuor calida minora: Ut Dauci Apij, Ammeos, Amomi, Anethi, Urticæ, Carvi, Geniſtæ, milij ſolis, ſeſeleos, fraxini Palyuri *Semina.*

Fructus: Baccæ Juniperi, Lauri, hæderæ Arboreæ, Aſparagi, Alkekengi, tribuli Aquatici, roſarum ſylveſtrium, qui dicuntur Cynosbatum, & ſpongiolæ earundem exemptis Vermiculis. Oſſa meſpillorum Nuclei pini perſico- *Fructus.*

ſicorum, Armoniacorum, uvæ paſſæ, ficus, Cicer rubrum & nigrum, fraga; Amygdalæ Amaræ, juglandes.

Succi. Succi Limonum & citri; ſuccus ex vulnerata betula in menſe Martio ſtillans;

Gummata. Gummi: Palmituritium, pruni ceraſi, bdellium. Lachrymæ: ut Lachrymæ, quæ verno tempore ſponte ex vite Vinifera & ſauciatis, ſeu perforatis betulæ caudicibus vel amputatis tiliæ ramis exſtillant.

Succinum: Pruſſiacum conducit in Nephriticis doloribus, quibus cruenta Urina acceſſit. Reſinæ: Laricea aut Terebinthina, & ex illis parata medicamenta contra Calculum renum plurimùm valent, víxque datur medicamentum præſtantiùs his, eſt enim inſigne abſterſivum, mundificativum, & Diurecticum id, quod probat urina, quæ poſt ejus uſum, violaceum ſpirat odorem.

Lithontriptica occultis qualitatibus agentia. *Secundæ Claſſis ſunt* quæ totâ ſubſtantiâ ſeu occultâ, ut loquuntur, proprietate, compactum calculum ſolvunt, & expellunt.

Poſterioris generis Simplicia ſunt: Lapis judaicus tam renum quàm Veſicæ calculos frangit, cùm etiam ſalis naturam repræſentet, proprietatem

quo-

quoque habet diſſolvendi tartarum, ejus pulvis cum Saccharo Cand. etiam infantibus à calculo vexatis cum fructu exhibetur. Lapis ſpongiæ, qui in ſpongiis reperitur, vim obtinet calculum confrigendi absque inſigni caliditate, non eſt tamen ejus vis ità valida, ut lapidem in Veſica morantem comminuat.

Lapis Lyncis eandem ferè poſſidet virtutem pulveriſatus & aſſumptus doſi ʒß. vel ʒj. in aliquo vehiculo Diuretico v.g. in Vino ſiliciato:

Lapidi Nephritico tantæ adſcribuntur vires, ut non modò introſumptus ſed & brachio alligatus Nephriticos dolores compeſcat, arenuláſque, & calculum expellat. Lapidem Pyritem nigrum nonnulli extollunt ad calculum comminuendum, & educendum. Silices albi ſexies in Vino rhenano vel alio Diuretico extincti vino poto Calculum atterunt, & excludunt.

Chryſtallorum montanarum ʒj. tenuiſſimè pulveriſatarum utiliter datur Calculoſis cum Aqua Graminis, vel Ononidis.

Secretum. Vitrum combuſtum & in cinerem exactè redactum inter efficacia Calculi remedia refertur. Lapis Microcoſmici, quem Helmontius cum Paracelſo

Duclech intitulat, qui vel in renibus, vel Veſica hominis concretus, ac generatus, vel naturaliter expulſus, vel per ſectioné erutus, de eo quotidie ℥j. ex aqua ſaxifragiæ, vel Raphani exhibitus lapidem concretum comminuit; ac reſolvit, ſi cum ſulphure, & nitro calcinatus fuerit, & cum ſucco Berberum depurato extractus, potens evadit remedium ad omnes calculos totius corporis expellendos. Lapis Percarum egregiè ad pellendum calculum valet.

Lapis in jecore Apri ſylveſtris repertus in pulverem contritus, & ex Vino potus calculos frangit, & pellit.

Lapilli, qui in boum Ventriculo, ac Veſica fellis reperiuntur menſe Martio collecti ſpecifica ſunt adversùs Calculum remedia, ſi cum vino albo aſſumantur.

Lapides, ſeu Oculi cancrorum obſignaturam (ut ait Paracelſus) renibus conferunt, & prohibent generationem Calculi, genitúmque diſſolvunt, & ejusdem dolorem tam refrigerando, quàm vi Anodynâ auferunt in pulverem redacti, & cum Vino Diuretico propinati.

Lib: princip: Cap. 11. Cancris integris (ut teſtatur Paracelſus) qui veſcuntur, haud facilè doloribus calculi obnoxij fient, mirificè enim pellunt

pellunt omne Calculi Tartarum, & potenter præſervant à Calculo.

Tegmen cancrorum cruſtatum diligenter contuſum, & cum Vino dulci mixtum, per Linteolúmque expreſſum, & ſic potatum prodeſt ad ejiciendum Calculum. Item Cancri combuſti in cinerem redacti, ad Cochlear unum exhibiti diſſolvunt, & eliminant Calculum. Sanguis hirci præparatus apud Veteres ad frangendum Calculum valde celebris fuit, nam & lapides antea natos ſolvit, & ità per lotium excerni facit, ut etiam alij deinde non gignantur, dolorem inſuper ſedat. Ejus autem præparationem tradit D Joann: Bapt: Helmont:

Leporis combuſti pulverem pro Calculo comminuendo conferre ſcribunt Renodeus, Fumunellus, Avicenna, Matthiolus, Gabelkoferus, Platerus: ſed Leporem prægnantem ſumito, jugulato, & cum ſanguine combuſtum, tritúmque plurimis diebus Patienti cum Cicerum, aut Petroſelini Decocto præbeto.

Talus leporis, ſeu oſſiculum, quod in junctura poplitis poſterioris pedum leporis reperitur cum vino optimo oblatus calculum conterit, Experientia Foreſti Fernelij, & Marchionis Montis ferrati;

Teſta-

Teſtarum Cochlearum Cinis ad comminuendos calculos à Plinio prædicatur. Totas verò tritas præſcribit Dioſcorides.

Secreta quorundam magnatum. Antiquorum Calculi Remedium.

Pulvis Membranarum interiorum Ventriculi Galli & Gallinæ, etiam perdicum, & Aurogalli, ad conterendum calculum vi pollet eximiâ.

Paſſerculus Troglotites, quocunque modo exhibitus per Urinam pellit, impoſterumque lapidem generare vetat.

Motacilla, Germanis Bachſtelz dicta, in cinerem combuſta, Urinam potenter movere, & Calculum non ſolùm comminuere & expellere, ſed hominem diutiſſimè à Calculo immunem præſervare exiſtimatur.

Aſelli ſeu Millepedes ſpecificâ & incredibili quaſi facultate ad Calculum in Renibus & Veſica comminuendum, ac in mucilaginem reſolvendum præditi dicuntur, de quo libavius Augenius, ſurnius, & Erneſtus Burggraffius, quorum uſum vide ſuo loco.

Ovum ſtruthionis, putamina Ovorum Gallinarum columbarum, Excrementum album pullorum Gallinaceorum, Anſerinarum plumarum cinis à variis extolluntur.

Compoſita.

Ex primæ & ſecundæ claſſis ſimplicibus his Varia in Officinis proſtant ex con-

conflata medicamenta, etiam ipſa ſim- *Aquæ.*
plicia aliaque magis compoſita.

Aqua Alkekengi Lapides è Renibus proſcribit.

Aqua alliorum, & cæparum albarum lapidem Renum & Veſicæ frangit.

Aquam Ononidis pro ſingulari Remedio ad comminuendum Calculum, & arenulas expellendas commendant: maximè ſi ſuo alkali fuerit imprægnata.

Aqua Raphani ſtillatitia Calculos Renum frangit, renes mundificat, & Urinam provocat.

Aqua ſaxifragiæ Calculum Renum & Veſicæ exturbat.

Aqua ex integra planta cum radicibus novellis Ononidis contra calculum deſtillatur.

Aqua Petroſelini ad calculum evehendum non improbatur.

Aqua fragorum ſtillatitia Renum, ac Veſicæ ſordes & arenulas eruit, & detritos Calculos detrudit.

Aqua Florum Geniſtæ ad depellendos Calculos publicat Matthiolus.

Aqua florum fabarum contra Calculum & Arenulas plurimùm poteſt.

Aqua pimpinellæ deſtillata, ad ℥ij. manè & veſperi ſumpta, educit Calculum & arenas, purificátque renes à mucilaginoſa materia.

Aqua Pimpinellæ cum Aceto deſtillata ſi datur ad Cochlear unum in Calculo huic non eſt par in hoc caſu, inquit Stokerus in Empyricis.

Quantis in frangendo Calculo Virtutibus dotata ſit aqua betulæ, videre licet apud Helmont.

Aqua Nucleorum perſicorum inter aquas alias contra Calculum pugnantes probat Platerus. Aqua Aſperulæ frangit Calculum & renes à ſaburra liberat.

Aqua Eringij Lapillos renales conſumit, ex radicibus Eringij optimè inciſis, & in Aqua Malvæ infuſis, & ſimul deſtillatis fit. Aquæ cujus ℥vj. ante ingreſſum Balnei corpore repurgato, exhibentur ad excludendum Renum Calculum & Arenas.

Aqua Naſturtij bibita, vim habet excellentem Arenulas, & Calculum extrudendi.

Aqua Urinæ humanæ vel tauri, vel hirci in Calculo expurgando mirum in modum laudatur.

Conſervæ Conſervæ: florum Ononidis, florum Geniſtæ, Linariæ, Cynosbata condita; radices Pimpinellæ conditæ. Roob Juniperi, Cynosbati conducunt ad Calculi compagem ſolvendam, & ſolutum educendum.

Spiritus Spiritus Urinæ humanæ utiliſſimum eſt

eſt medicamentum in comminuendo, exſtirpandóque Calculo Renum, & Veſicæ.

Spiritus Salis Communis, Vitrioli, Sulphuris, Nitri, ſalis Armoniaci, communi Chymicorum conſenſu renes & Veſicam expurgant, & Calculum frangunt, ſi cum Juſculo, Vino, Aquæ ſaxifragiæ, vel Petroſelini, & Alkekengi ad guttas aliquot aſſumantur. Spiritus Terebinthinæ altè penetrat, tartarum coagulatum reſolvit, & per vias Urinæ expurgat, & ſi cum conſerva florum malvæ exhibetur; Calculos & Arenas à renibus propellit.

Spiritus Succini albi, omnem materiam, ex qua concreſcit Calculus, ad vias Urinæ promovet, unde calculoſis inſigniter proficuus eſt.

Spiritus fragorum, & fructuum Cynosbati, item granorum Juniperi & Alkekengi, inſignem vim habent pellendi Calculum.

Olea: Granorum Juniperi mundificat renes, & pellit Calculum cum Urina; ſumptum ad guttas v. vij. vel ix. jejuno Ventriculo cum juſculo, vel alio vehiculo appropriato. Olei Luti, ſeu Calculi humani, ſecundum Paracelſum, omnes lapides ex tartaro concretos in renibus, Veſica, atque aliis locis pellit.

Olea

 Oleum

Oleum Philoſophorum tum interiùs cautè tamen, ſumptum, tum exteriùs illitum ad Calculi expulſionem efficax eſt.

Oleum Terebinthinæ ad guttas ſeptem, vel octo in Vino, vel juſculo Petroſelini exhibitum Calculum frangit, eúmque per Urinam educit, ſi ejus Uſus per aliquot dies continuetur.

Oleum, ſeu potiùs Cryſtallorum Liquor ℥ß. potu aſſumptus remedium eſt ſingulare ad Calculos atterendos, & expellendos.

Oleum Succini albi cum Aqua raphani ſaxifragiæ, Pimpinellæ, vel Vino Malvatico potatum, Urinam movet, & Calculum expellit.

Oleum ſeminis fraxini arboris, eximiarum eſt virium in Calculo frangendo, erátque D. Baroni de Wallenkofen familiare ſecretum.

Salia Salia: Sal Urinæ, Sanguinis, & Calculi humani ſpecificâ proprietate tartarum, & Calculum humanum ſolvunt. Idem præſtat Sal Vulpis, turdi, teſtudinum, teſtarum Ovorum, Cancrorum Fluviatilium, Petroſelini, Cherefolij, Ononidis, Camomillæ, fragariæ, corticum, & ſiliquarum fabarum, Leviſtici, parietariæ, Lignorum Juniperi, Fraxini, Geniſtæ, Sal Succini Volatilis, Tartari Cry-

ſtallini,

ſtallini, Nitri, lapidum Spongiarum, ſilicum fluviatilium.

Extracta: Ononidis, Eringij, Petroſelini Veronicæ, Saxifragiæ, granorum Juniperi, fructuum. Alkekengi, Pimpinellæ, diſſoluta cum Vehiculo appropriato, bonum pollicentur effectum. *Extracta*

Ex his præterea variæ conflantur medicamentorum formulæ, quas Magiſtrales vocare ſolemus, quarum hic aliquot apud Authores magis uſitatas ſubjicimus.

Aqua Nephritica Lotharingica, â Duce Lotharingiæ ſic dicta. *Aquæ.*

℞. Malor: citri q. ſ. Abjice, quod intus eſt acidum, reliqvum raſum, comminutúmq; ſtet in vaſe vitreo 24. horis, & exprime fortiter, ℞. expreſſi lbj fruct: Alkekengi N. LXIV, contuſa M, & ſtent iterũ 24. horis ſimul, dein ex retorta vitrea deſtillentur per Arenam. Hujus Aq: deſtillatæ ℥*iiß*. cum vini Rhenani ℥*iß*, & Sacchari. *Formulæ nonnullæ Aquarum.*

Aqua Nephritica Bilioſis apprimè conveniens:

℞. Pomor: Aurantior: limon: ſucculentorum ana N° xij, Caſſiæ recenter extractæ *lbiß*, incidantur limones, & Aurantia unâ cum corticibus, & ſeminibus contundantur ijſque cum caſſia mixtis

ſuperfunde ſeri lactis Caprini *lbvj.* ſtent in infuſione 24. horis, deinde deſtillentur ex organis vitreis, deſtillatum dulcoretur pauco Saccharo. *Hæc Aqua præmiſſis univerſalibus doſi ℥iv. vel v. manè jejuno Ventriculo per plures dies ſumpta, Renum intemperiem extinguit, fermentum petrificum corrigit, alvum apertam ſervat, & ſenſim omnem Arenarum compagem ſolvit, earumque ſaburram evertit.*

Aqua Anti-Nephritica alia valdè inſignis.

℞. Rad: Ononid: Raphani ana ℥*iv*. Vini Rhenani, & Aquæ ſaxifragiæ ana q. ſ. ad eminentiam quatuor digitorum, macera, & deſtilla, doſis unum, alterúmve Cochlear vel per ſe, vel cum juſculo petroſelini. Alia: ℞. Aq: petroſel: ſaxifrag: Ononid: ana ℥*ij*, alkek: Raph: ana ℥*iij*, Spiritus Vitrioli, vel Salis ℥*ß*. doſis ℥*j*, ℥*ij*, vel ℥*iij* mane ſuperbibito juſculo petroſelini, vel alio appropriato.

Aqua Nephritica Holerij quæ omnes ferè alias virtûte ſuperare putatur.

℞. Succorum Limonum lb iij. pimpinellæ parietar: Alkekeng: beton: creſſion: ana lb j. ſimul mixtis adde tribulor: Cortic: bruga ſpinæ, rad: fœnic: petroſel: Enul: Veron: Ireos florent: ana ℥ij. ſem: melon: Dauc: bardanæ, Mylijſol: petroſel: Macedon: ana ℥j. Cucum: portul: Citrul: ana ℥ß. Fol: Beton: Scolopendr.

pendr: Asplen: Flor: Alt: Bugloss: Violar: Tapsibarbat: ana M. s. infusio dein fortis expressio in qua dissolve mel: optimè despumat; lb ij. Terebint: lb j. Aceti Vini albi Quartarium unum specierum Electuarij Ducis Aureæ Alexandrinæ Lythontripticum ana ℥j. f. destillatio in Alembico s. A.

Alia Aqua Lithontriptica, qua, ùt ait Hoffmannus, Laudem meretur.

℞. Rad: Enul: campan: Ononid: Pimpinel: Raphan: ana ℥ß. Petrosel: Levistic: Bardan: ana ʒvj. fol: Levist: Petrosel: ana Mj. Saxifrag: cum toto ℥ij. nucl: persicor: num: xxx. Flor: Genist: Sambuc: ana Mj. baccar: Iuniper: Myrtil: Halicacab: ana ℥ij. Sem: Bardan: Anis: ana ℥j. Incidantur, atque infundantur octiduo in Vini albi Optimi lb xij. dein destilletur. Diuretica & Lithontriptica est. Dosis Cochlear unum, vel duo in jure petroselini.

Liquor Celeberrimus quem etiam commendat Riverius.

℞. Salis tartari Albi ℥j. Aquæ petrosel:(vel Aquæ betulæ) lbj m. & per Chartam bibulam coletur, & liquori color croceus corticibus Aurantiorum concilietur: Dosis ℥ij. Superbibito. Jusculo petroselini.

De-

Decocta. Lib: 24. Obs: 26. & 29. Eorum quædã formulæ.

Decoctum Nephriticum Foresti ab Authore pro Arcano habitum, in omnibus ferè potibus palmam præripit.

℞. Cicer:Rubr: ℥iij. Hord: mund: ℥ij. Chlysirrhyz: rasæ ʒvj. Sem: malv: Alt: ana ʒiij. Sem. IV. Frigid: Major: ana ʒij. Caricar: pingvi: num: IX. Sebest: num: VII. Incisa conquassata Coq: in Aqu: lb viij. Ad consumptionem lb ij. Singulis præbiis addatur dimidium Cochlear Syr: De Alt: Fernelii.

Aliud Decoctum valdè præclaris pollens Virtutibus.

℞. Rad: petrosel: fœnic: Ononid: Alth: Asparag: Pimpinel: Liquirit: ana ℥ß. Cicer: Rubr: ℥ij. Granor: Alkekeng: ficuum ana num: viij. Sem: IV. frig: Major: excort: ana ʒj. Alt: Malv: milysol: ana ʒ ij. Incisa & conquassata Coq: in s. q. Aq: ad lb ij. clarificetur & filtretur, hujus ℞. ℥jv. vel ℥v. Syr: Acetos: Citr: vel Dialth: Fernely ℥j. Spirit: sal: gut: aliquot M. p. Una Dosi.

Vinum infusionis Baccarum Alkekengi juxtà vim suam Anodinam Nephriticum Diureticum ac Lithontripticum est:

Fructus verò ritè siccati infunduntur in Vino albo tenui stantque in infusione per horas aliquot de hac infusione propinantur ℥jv.

Fra-

Fraga probè cum Vino ablota & postea tusa & pro usu infusa, atque asservata experimentum est eximium in Calculo Renum, si cochlear unum vel duo de hoc infuso in jusculo petroselini præbeatur.

Si Thaleolæ Raphani in Vino Generoso per noctem infundantur, manè verò decoquantur & exprimantur, & de hac expressione unum cochlear in jure petroselini epotetur, admodùm Calculosis præstat auxilium.

Vinum siliciatum album, in quo pulvis glomorum Cynosbati maceratus est per dies aliquot manè jejuno Ventriculo de eo potum, calculum mirum in modum solvit.

Oleum valdè laudabile. *Oleorũ formulæ.*

℞. Terebinth. Venet. ℥viij. Resin: Laricea Gum. Cerasor. & Bdellij ana ℥j. Cer. purissimæ ℥iij. Ciner. herb. Ononid. ℥iij Aq. Vitæ supra Baccas Juniperi rectificat. lb j. M. & S. A. per retortam destilla & prodibit primô Aqua, posteà Oleum, quæ ab invicem sunt separanda Dosis olei hujus guttæ. iv. vel vj. cum Aq: Ononid.

Oleum aliud plurimâ laude dignum. *Nonnullorũ Secretũ.*

℞. Sem. linguæ Avis, seu fraxini lb ij.

 Gra-

Granor: Juniper. lb. iv. tuſis, & commixtis invicem, adde Terebinth. claræ lb ijß indantur cucurbitæ Vitreæ, & ſuperaffunde Aquæ puræ lb xij. Cucurbitâ benè lutatâ ponatur ad putreſcendum per tres menſes. Tandem exactis tribus menſibus omnia deſtilla, & exibit Oleum, cujus vires ſunt præſtantiſſimæ. Doſis ejus ſunt à gut. viij. ad gut. xij. cum Aqu. Ononid.

Quantæ etiam Virtutis : ſint Oleum Cryſtalli Montani; Oleum ludi humani Paracelſi ac Oleum, ſeu Liquor Doctoris Michaëlis fuſiùs reſciri poteſt per inſpectionem ipſorum Authorum.

Spiritꝰ. *Glomorum Cynosbati Spiritus à Paracelſo ità paratur.*

Menſe Majo, & Junio magna Glomorum Cynosbati quantitas colligitur, & remotis Vermiculis minutim conciditur ſucco betulæ vel raphani & fermento additis fermentatur, dum ex putrefactis per Veſicam eliciuntur ſpiritus, & Aqua ex capite mortuo in cineres uſto extrahitur ſal, qui purificatus cum ſpiritu conjungitur, aliquamdiu in digeſtione relinquitur, digeſtum in argilla miſcetur; & △ nudo ſuper ejusdem Glomos in receptaculum majus deſtillando ſpiritus unâ cum ſale projycitur, donec omne

omne sal simul transeat, quod in recipiente est, exprimatur & expressum per retortam igne Arenæ non admodum valido, nè Empirevma redoleat, destillatum in modum Arcani. Ejus guttæ à iij. ad xij. in convenientibus liquoribus exhibitæ, & sæpiùs datæ calculum insensibiliter expellunt.

Tinctura Lapidis Nephritici Mœbij.

Tinctura. Arcani.

℞. Pulv. Lapid. Nephrit. q. s. infunde ipsum in Spiritum Salis rectificati q. s. stent in digestione, fiátque deinde Tinctura Viridis.

Syrupus Calculum solvens, & Alvum laxans Felicis Plateri alijs tamen Diuretico-Lithontripticis præmittendus:

Syrupi.

Syruporum formulæ.

℞. Rad. Fœnicul. Petroselin, liquirit. ana ℥ ß. Fol. Malv. Capil. Vener. ana mj. Aneth. pj. Baccar. Alkekeng. ʒ ij. passular: enucleatar. ℥j. Sebesten. num. x. prunor. num. v. Cicer. rubrorum pj. sem. iv. frigida Major. ana ℥ ß. Rad. polipod. ℥j. fol. Sen. S.S. ℥ j ß. Coq. in s. q. Aqu. pro duabus, vel pluribus dosibus adde Sacchar. vel Syr. Cort. citr. q. s. ad dulcorem.

Syrupus Horatii Augenij, quo scribit sexcentos ferè à Calculo curâsse:

℞. Rad. Saxifrag: rusci, levistici, Eringij Ononid. Alth. Gramin: Fœnic.

 Petro-

Petroſelin. ana ℥ß. Raphan. Sylv. ℥iij. fol. Beton. Pimpinel. ſumit. Alt. Urtic. puleg. Calaminth. naſturt. polyg. min. hercines ana mj. Fruct. Alkekeng. n. xx. Sebeſt. num. xv. Cort. rad. Laur. ℥ ij. Sem. Ocymi, Bardan. Petroſelin. Dauci, milij ſolis ſeſeleos ana ʒ ij. vuar. paſſar. liquirit. ana ℥ vj. Capil. Vener. politrychi ana mj. Coq. S. A. in Aqu. Capil. Vener lb. x. donec vj. ſuperſint in duplici Vaſe è quibus cum Sacchari pini lb. iv. & mellis deſpumati lb ij. f. ſ. perfectè coctus & aromatiſatus ℥ j. Cinamoni & ℥ ß. Nuc. Moſch.

Inter cæteros Syrupus, qui in officinis conſervantur, præſtans eſt etiam Syrupus de Althea Fernelij, doſi trium vel quatuor Cochlearum cum juſculo petroſelini vel decocto Nephritici aſſumptus.

Electuaria. *Montagnani mirum in modum hoc Electuarium depradicat dicens: nullum non lapidem in homine eo frangi, & conteri poſſe:*

Electuariorũ formulæ. ℞: Sem. Apij, Petroſelin. milij ſolis, granor. halicacab. rad. ſaxifrag. Ariſtoloch. rotund. poly: montan. ana ℥ j. lap. linc. Spong. judaic. ana ʒ iß. Vitri combuſti, ſanguinis hirci præparati, ana ʒiij. Liquirit. pulveriſat. ℥ j. Oxymel compoſit. Sacchar. alb. ana lb iß. Aceti ſquilliciti ℥ ß. m. pro Electuario.

Ele-

Electuarium Stagneni.

℞. Cortic Rad. Ononid. in umbra exſiccatar: ſang: hirci præparati ana ℥ij. lapid. ſpong, vitri combuſt. Ciner. lepor. in Martio capti. cineris ſcorpion. teſtæ ovorum in exactiſſimum pulverem redact. rad. cyper. Gummi Arabic. ana ℥j. Gummi Ceraſor. ſem. petroſelin. Dauci millij ſol. alth. rad. Glycyrrhitz. Cinamom. interior. Spic. Nard: M. ana ℥iß. cum Sacchar. in Aqu. Ononid. diſſolut. F. L. A. Electuarium.

Opiata Calculos atterens, & expellens Naturis calidioribus aptè conveniens eſſe aſſeritur:

Opiata

℞. Pulp: paſſular: ℥ ij. roob fruct: cynoſbat: Conſerv: Rad. Eryng: & flor: geniſt: ana ℥ß. Pulver: Auriculæ muris Rad: Ononid: ana ℥ ij. Sangv: Hirc: ppt. vitri uſti lap: judaic: ſpong: ſem. milyſol: ana ℥ jß. Beton: ſic: ſem: ſaxifrag: Ciner: ana ℈ iv. halicacabi pulp: ſem: iv. frigidor: major: decorticator: minutiſſimè conciſor: ſem: apij, fœnicul: petroſelin: ana ℥j. ſem: bardan: malv: Gummi Ceraſor: ſucci Glyzirrhy: & ejuſdem pulveris ana ℈ ij. cum Syr: ℈j. de Alth: Fernel: q. ſ. f. ſ. A. opiata. Doſis ℥ ij. ſuperbibendo juſculum petroſelinum, vel Cicerum Rubrorum.

Siccorũ Formulæ medicamentorum Compositorum.

Pulvis Nephriticus Michaëlis.

℞. Lapid Nephrit: percar: ana ℥ *iß*. Lync: judaic: anâ ℥ j. Spong: Cryſtall: glaciei Mariæ Ocul: cancr: ana ℥ ij. Lap: Aquil: ophit: ana ℥ j. ovor: ſtruth: ℥ ijß M. f. pulv: ſubtiliſſimus. *Doſis* ʒ *j. in vehiculo convenienti.*

Pulvis Lithontripticus Rolfinci non contemnendæ virtutis eſt.

Deſcriptio Pulveris Rolfincij.

℞. Ocul: Cancr: ppt. Sangv: Hirc: ppt. ana ʒ *jß*. lap: judaic: Nephrit: ana ʒ j. Ocul: Lucij piſcis ſem: milij ſol: ana ℈ ij. Cryſtal: tartar: ʒ *ß*. ſal: ℈ j. M. f. *Pulvis*.

Claſſ: 3. tit: 18.

Pulvis Nephriticus, qui (ùt loquitur Tilingius) Nephriticos oculariter juvat, tartarum enim & lapidem Renum & Veſicæ cæterorúmque membrorum frangit, atque mirabiliter expellit.

Deſcriptio pulveris

℞. Cryſtal: tartar: lapid: percar: piſc: Ocul: Cancr: ana ʒ j. ſal: ſuccin: alb: ʒ *ß*. Ol: ſtill: Aniſ: gr. V. Sacch: cand: alb: ʒ iij. M. & f. omnium pulvis ſubtiliſſimus. *Doſis eſt â* ʒ *ß. ad* ʒ *j. in Aq: Nephrit:*

Pulvis Anti-Nephriticus mirabilis.

Deſcriptio alius pulveris.

℞. Acid: tartar: ℥ j. Cryſtal: tartar: ʒ iij. tart: vitriol: ʒ *ß*. ſpir: vitriol: q. ſ. M. & f. pulvis *cujus* Doſis eſt ʒ *ß*. in Aq: Ering: â *Tilingio*.

Sapè

Sæpè probatus Pulvis Oniscorum:

Descriptio sæpè probati pulveris Oniscorum.

℞. Onisc: q. s. lava diligenter cum V. postea in olla nova vitreata luto supernè, & tegulâ bene munitâ exsicca in libano ità, ut in pulverem subtilissimum teri possit; Pulverem cum V. tantillo imbibe, quantum ejus ille imbibere potest, rursus exsicca, ídque fac ter vel quater, ultimò demum in pulverem reduc, ac imbibe istius pulveris ℥ j. cum pauxillo aq: fragar: & ʒ j. spir: sal: Denuò in pulverem reduc & exsicca. Serva in vase Vitreo, vel Argenteo probè ab omni immunditate.

Præter hos suum etiam laudat ad Calculum eliminandum Pulverem Zwölferus cujus descriptio videri potest in Authore.

Inter salia præter superiùs consignata sal Crollij pro magno Arcano circumfertur:

Descriptio salis Crollij.

℞. Ocul: Cancr: Calcul microcosm: lap: judaic. lync: spong: Aquil: Glaciei duræ, seu Crystal: silic: lapid: cyprin: ê perca pisc: ana q. v. resolve aceto destillato toties repetendo affusionem, donec omnes soluti sint, ac inde para salem per Abstrahendo Acetum: Hoc sale sæpiùs Aq: pluvialem priùs dulcificato, & purificato (solvendo scilicet filtrando, & evaporando) - vel per se utatur vel in liquore resoluto Dosis ana ℈ j. ad ℈ ij.

Insi-

Insigni & Admirandarum Virtutum Lithontripticon est sal tartari volatilisatum:

Descriptio salis Tartari volatilisati.

℞. Sal: Tartar: purificat: q. p. Affunde Spirit: V. rectificatiss: destilla ex Arena per Alembicum cohobando aliquoties, & adhærescet sal tartari lateribus Alembici. Si verò per B. M. destillaveris, non sublimabitur, sed exibit menstruum corallis solvendis idoneum Dosis â gr. V. ad viij.

Pillulæ

Crato celeber Medicus duarum meminit formularum pillularum tam ad præservandum quam conterendum Calculum, quarum descriptionem in consiliis suis manifestabit legenti.

Laudanum Urinarium D. Michaëlis quod singulariter in Urina provocanda calculo expellendo Renum obstructionibus aperiendis doloréque sedando deprædicatur.

℞. Suc: liquirit: in aq: Alkek: solut: ℥ jß. Camphor: ʒ j. Croc: Ori: ℈ iv. Alkeken: ℥ ß. Gum: tragagant: Mastich: ℥ jß. laudan: Op: ʒ ij. M. f. pil: Trochisci qui apud non nullos pro summo secreto habentur.

℞. Ol: ex sem: lingvæ Avis destil: ℥ j. quo imbue sacchari cand: ℥ iv. & cum modico Gum: tragagant: Aq: parietar: solut: f. s. A. Trochisci parvi, quorum Dosis sunt tres vel quatuor.

Inter-

Interna hæc ſunt Lithontriptica tam qualitatibus manifeſtis, quàm ocultis ad calculi confractionem & expulſionem conferrentia ex variis Authoribus excerpta medicamenta, ſub quorum tamen uſu topica externa quæ vias emolliunt, ac relaxant, non omittenda eſſe ce ſemus: Ut ₒ°ₒ Camomil: vel ſcorpion: cui flores Geniſt: præmaduerint in vaſe fictili fimo circumſepto: quo totius Renalis Regio poterit ſæpiùs inungi.

Linimentum. *Linimẽta.*

℞. Ungu: Dialt: ℥ j. Axung: Cunic: ʒ ij. Ol: ſcorpion: q. ſ. M. f. linimentum.

Vngventum ſubſequens à multis commendatur.

℞. Ol: lil: alb: ſcorp: ana ℥ iß. Ciner: ſcorp: vitr: uſt: ſangv: Hirc: ppt. ana ℈ ij. M. & f. illitio mane, ſerò.

Nephriticum ad Calculum Ioannis langij. *Emplaſtrum.*

℞. Rad: alth: ſem: lin: fœnugr: ana ʒ iij Conquaſſata bulliant trina ebullitione in Aq: Raphan: & fragar: ana lb ß. & f. extractio mucilaginis de qua.

℞. ℥ ij ß. Pingv: Gallin: Cuniculi ana ℥ ß. farin: Fl. Camomil rad: alt: ana ℈ ij. ſaxifrag: fœnic: ana ℥ j ß. Therebint gum: Ceras: ſtorac: liquid: ana ℥ ß. Ol: lil: alb: ſcorp: ana ʒ vj. de gran: junip: ℥ j ß. cum ʒ v. ceræ in mortario ca-

lido f. Emplaſtrum inſpergendo inter malaxandum Oleum de granis juniperi.

Labefactarum Partium ad calculi generationem contribuentium reſtitutio, earundemque calidæ & ſiccæ diſcraſiæ repreſſio appropriatis cuilibet parti medicamentis, ut quarto ſcopo quàm aptiſſimè ſatisfiat, perficitur. Calida & ſicca quidem Renum & veſicæ intemperies corrigitur, ac eorum ſegnities excitatur, nec non odor petrificus ijs & alimentis impreſſus extinguitur per Nephritica & Cyſtica, tam in prophylaxi quàm paulò antè ſat abunde conſignata. Si etiam ut communiter accidit, calida & ſicca hepatis & ventriculi inculparetur & concurreret Antipraxia; Hepaticis & ſtomachicis temperatè refrigerando emendantibus ſuccurſus non eſt renuendus, ità tamen in ejus correctione procedendum, ut, dum quis uni prodeſſe ſatagit, alteri non obſit. Hepatica & ſtomachica verò moderatè refrigerantia ex ſelectioribus ſunt hæc:

Radices. Radices: Cichor: Sylveſtr: & hortens: borag: buglos: Acetos: Endiv: gramin: cynosbat: fragar.

Folia. Folia Acetos: fragar: violar: Cichor: Endiv: Taraxic: agrimon: borag: buglos.

Flores. Flores: Cichor: cœrul: & alb: borag: bu-

buglos: violar: purpur: Epaticæ Nobilis.

Fructus. Fructus: Poma: Citr: aurantior: borsdorffiana: paſſul: Major: exacinatæ & min: pruna, Ceras: meraſa, fraga.

Semina. Semina: IV. frigid: Major: & minor: Endiv: Cichor: hord.

Ligna. Ligna: nephriticum, ſantalum omne, præſertim citrinum aut flavum.

Gummi. Gummi: Tragagan: Camphor.

Terræ & Lapides. Terræ & lapides pretioſi: Quinque lapidum pretioſor: Margarith: cryſtallus montana.

Ab Animalibus. Ab Animalibus: ſerum lactis capri: ſucc: citr: cum emulſione ſem: IV. frigid: major: impraegnatum.

Officinalia hepar refrigerantia. Ex his varia proſtant in Officinis Magiſtralia medicamenta.

Aquæ. *Spiritus.* Aquæ: Cichor: acetos: Nymph: taraxac: Endiv: fragar: Spiritus vitriol: tartar: ſalis marini.

Decocta. Decocta hord: cum Julep: roſar: & ſuc: citr.

Succi. Succi liquidi & inſpiſſati: Cichor fragor: Ceraſor: Endiv: Acetos: pomor: acidor: Rhibi: berber: ſuccus citr: roſar: rub: idæi tunicis.

Syrupi. Syrupi: Ex ſuc: Cichor: Endiv: ſimp: & Comp: Acetos: Acetoſel: Acetoſus ſimplex & compoſitus. Oxiſach: ſimplex & compoſitum, Acetoſitatis citr:

 cichor:

cichor: ribium, berber: fragor: rub: idæ: de 2. & 5. radic: ſyr: de Aggreſt: Julep: roſar: violar.

Conſervæ. Conſervæ Acetos: Acetoſel: Fl: & rad: cichor: roſar: vitriolat.

Condita Condita berberum, Carn: citr: Ceraſor: rad: cichor: alb: Ribium, lactuc: Ital.

Medicamenta ſpiſſa. Species ſeu pulveres: roſat: Diatri: ſantalor: Margarith: frigid.

Rotulæ. Rotulæ & Morſelli ex tinctur: roſar: pap: rheados, ex ſucco citr: berber.

Ex his variæ poſſunt concinnari Medicamentorum formulæ, quibus tamen conſultius erit Nephritica ſemper immiſcere.

Calculi moti Curatio. Calculi moti ſeu doloris Nephritici Curatio.

Secundùm River: Praxis Med: L. xiv. c. 1. Curatio doloris Nephritici perſolvitur primò. Viarum dilatatione ac relaxatione. Secundò Calculorum dolorem cauſantium excluſione. Tertiò Cauſæ Antecedentis ſublatione. Quartò Ipſiuſmet doloris mitigatione.

Primò: Cùm viæ relaxari nequeant, niſi priùs obſtacula dilatationem impedientia ſublata fuerint: Impedimenta, quæ remoram injiciunt, vel pendent *à toto corpore*, vel *à parte affecta.*

Impedimentum quod totum corpus adfert, eſt repletio: Quæ duplex eſt; nam

nam vel ſincero ſangvine corpus abundat, quæ abundantia *Plethora* indigitatur, vel alio quovis humore impuro, quæ impuritas *Cacochimia* appellatur. Exceſſus maſſæ ſangvineæ ſeu Plethora ſubtrahitur per emiſſionem ſuperflui cruoris, hæc autem varijs modis ſuum obtinet executivè ſcopum, aut per V. S. aut hyrudinum affixionem, aut ſcarificationem. Quamobrem, ſi opus eſt, præmiſſo lenitivo purgante vel Clyſtere emolliente injecto primam corporis regionem mundante, ſi ætas viréſque firmæ, corpúſque non omnimodè longitudine morbi & dolorum acerbitate attritum & diſſolutum fuerit, non tam præſentis morbi, quàm impendentis inflammationis metu Vena interna brachij aperienda eſt è directo renis dolentis tam revulſioni & ventilationi quàm præcautioni admodum inſerviens.

Gal: de rat: vict: acut: & alijs in locis venam ſecare præcipit, non exiſtente etiam plenitudine, cùm dolor vehemens hominem præhendet, rationem hujus aſſignat lib: 9 meth: med: 11. Derivationis gratiâ poſtero die, ſi ea ob præſentiam plethoræ vel ob dolorum acerbitatē permitti vetuerit, vena Malleoli aperienda eſt è directo partis affectæ, vel in utróque pede, ſi renes ex æquo ſint affecti;

 ex cu-

ex cujus apertione calculoſi maximum perſentiunt levamen cum repentina dolorum mitigatione, quod confirmat ipſe Gal: Item Solenander & River.

L.1.aph: com:23. conſil:15. pag:64. Obſerv: 15.Centur: 2.

Aſt Quæſtio movetur, quænam tundenda ſit vena in Malleolo, an interna ſaphæna, an verò externa Iſciatica dicta? Gal: reſpondet Comm: in Aph: 26. ſect. 6. parum referre ſive exterior ſive interior eligatur, cùm ab uno oriantur trunco. Arabes ferè omnes venam internam ſolvunt; ubi coxendicis dolor, externam.

Sed certè delectus non eſt de nihilo, natura namque jure jurando imitanda, quæ motus ſuos rectâ lineâ exequitur.

Dolore ulteriùs progrediente apertio hæmorrhoidum erit convenientiſſima, maximè ſi ante fluere conſueverint, magiſque ſi tumefactæ & prominentes appareant docente Hyppocr: 6. Aph: 11. *Melancholicis & Nephriticis hæmorrhoides ſupervenire bonum;* nam ex eodem ramo ſplenico venæ ſparguntur ad renes, veſicam & hæmorrhoides, hæmorrhoidum apertionem mirum in modum comprobat quoque Hollerus Comm: ad lib: Aph 11.

Quantitatem mittendi ſangvinis determinant pauci, verùm ex Foreſto pag: 128. & Mercat: pag: 396. *quæcun-*

que

que vena incidatur, multò minùs vacuandum est, quàm ipsa repletionis copia expostulat, neque etiam ait Aetius *futurum speramus, ut omninò sit bonum, è Renibus excidat lapis, præsertim si magnus existit. Quare servare oportet sangvinem in ea, quæ cum tempore futura est, in corpore expensa:* Impuritas humorum seu Cacochimia tollitur; si enim magna humorum impurorum saburra in prima Corporis regione restagnans fuerit, corpus & primæ viæ ab impuris humoribus mundandæ sunt; si itaque venter semicocto cibo plenus, & intestina excrementis scatentia renes comprimant, molestiámque pariant, partes hæ exonerandæ sunt: ventriculus quidem vomitu in Nauseabundis & ijs, qui ad vomitum proclives sunt, viam ad hoc monstrat ipse Hypp: inquiens: *Quæ educere oportet, quò maximè vergunt, per ea loca ducenda sunt.* Intestina verò crassiora Clysteribus; tenuia & communes viæ lenioribus. Forestus in Scholio ad Observ: 23. lib: 24. Authoritate Altomaris & Guaineri fultus in principio solis Clysteribus contentus abstinet â purgantibus, eáq; non nisi cessante dolore exhibet (præmissâ etiam in quibus necessaria est, venæ sectione) nè humores agitati decumbant in partem affectam, & dolorem augeant, cujus ratione fluxus

est

eſt facilè ſuſceptibilis; quod quidem verum eſt, & Avicennæ doctrinæ conſonum, quin imò dolore valde urgente Catharticum exhibitum etiam fortiùs ſæpe non purgat, quia tum temporis omnes partes ſeſe contrahunt: vel ſi purgant illa lapidem, tum humores exagitant, intempeſtivè commovent, antequam viæ laxantibus, lenientibúſq; paratæ ſint ad faciliorem tranſitum, atque ità dolorem exacerbant. At planè in principio, antequam dolores intendantur, pharmacum purgans blandum eccoproticum (Hyppocrates juvenibus, id eſt, fortibus Veratrum ſeu Elleborum exhibere non veretur, cujus tempore benigniora non innotuerant) præter id, quòd alvi fœces citra corporis perturbationem & humorum Orgaſmum educat, partes quoque leniat & laxet, poſt Enema ſtatim injectum exhiberi poterit, *ſatiùs námq; eſt*, ait Mercatus, *à tali purgatione initium facere, modò doloris ſævitia inducias præſtiterit*. Talia autem apta medicamenta, quæ partium ductus levigant, exaſperata leniunt, & renum vias, commeatúſque ſolvunt, liberant, aperiunt, prætereaque laudantur in omni inflammationis metu, ſunt Caſſia, manna in bilioſis, terebinthina autem in pituitoſis, quæ boli potiùs formâ exhibeantur, nè tam facilè hoc tempore, quo

6. Epidē: ſect: 1. §. 2.

quo ventriculus nauſeat, & ſubvertitur, revomantur, horum diverſas formulas quivis Domeſticus Author inſpectus communicabit, quòd ſi exactis ſeptem vel octo horis non operatur, alvum ſubducendo, Clyſter repetatur docente Quainerio.

Ac ideo primò, quia Clyſteres excrementa craſſiora emolliunt, & ſubducunt flatus, qui hic ſemper adeſſe ſolent, diſcutiunt, inteſtina inutili onere ductus urinarios comprimente levant, vias urinarias laxant, integris quaſi viribus ad renes perveniunt, ut eorum dolores veluti fomento quodam mulcebri calore leniunt, meritò ab illis auſpicandum, iiq; ſæpius infundendi, emollientes & laxantes, flatúſque diſcutientes: Calculoſi námque flatuum copiâ abundant ob cruditatem à Ventriculi moleſtia oriunda, & excrementorum exagitatione: Quam doctrinam colligimus ex Avicenna dicente: *Nihil dolorem renum ex lapide cauſatum magis augmentare, quâm inteſtinorum repletio, & potiſſimùm ex ſtercore.* Quippe ait Author libelli de Renum affectibus: *Manifeſtum eſt, ſtercoris obſeptione renes plerúmq; exaſperari, ut compertum ſit tentata injectione renalem dolorem eſſe mitigatum,* vel quòd ab ea evacuatione Ren aliquis non ſit ampliùs compreſſus, vel quòd ex

ſtercore nulli poſtea flatus prodierint, qui Renes potuerunt impingere, quibus Ren diſtentebatur.

Selectæ Quorundam Clyſterum formulæ

Clyſteres ℞. Rad: alt: lil: alb: ana ℥ j. fol: malv: parietar: Violar: Branc: urſin. ana M j. ſem. lin. fænu græc. ana ℥ ß. fic num. vi. Fl. camomil. mellilot. ana P j. Coq. in aq. com. q. ſ. & in collat. lb j. diſſolve Caſſ. recenter extractt. ℥ j. Elect. Dia Cathol. ℥ ß. ol. Amygd, dulc. lil. alb. camomil. butyr. recent. ana ℥ j. M. f. Clyſter.

Hoc rejecto ſubſequens inijci poterit, ut inteſtina ab excrementis craſſioribus & flatibus Renes comprimentibus liberiora fiant.

℞. Parietar. ſumit. anet. Fl. camomil. mellilot. ana M j. ſem. anis fœnicul. ana ℥ ß. f. Decoct. ad lb j. in qua diſſolve Elect. Diaphœn. ℥ ß. terebint. vitel. ovi ſolut. ℥ j. ol. anet. & ſcorpion. ana ℥ ij. M f. Enema. Non citra fructum Riverius alijque ſolent aq. Bened. Ruland. ℥ ij. l iij adycere. Qui verò ad Clyſteres adigi nullatenus poſſunt ſuppoſitorio ſæpè immiſſo alvi fæcis exturbari poſſunt ug.

Glans. ℞. Specier. hier. picr. Gal. ℈ ij. Trochis. Alkand. ℈ j. ſal. & mel. q. ſ. M. f. L. A. ſuppoſitorium, cui in cuſpide Diagridij ppt. gr. iij addantur.

Impe-

Impedimentum *à parte Affecta*, quod calculi exitum molienti præbetur, *est Viarum Angustia*, per quas illi transeundum: hæc itaque Via nimiùm coarctata lubricis, relaxantibus, & pœnes dolorem demulcentibus medicamentis tam in: quàm externis Amplificanda, relaxanda, & emollienda est.

Medicamenta emolientia Anodyna per Os assumpta.

Medicamenta vias molles, & lubricas reddentia; aluúmque apertam conservantia, dolorique blandientia, Vel per os assumuntur. Ut sunt: oleum Amygdalarum dulcium recenter expressum ad ℥ iij, vel IV. per se, vel cum cremore hordei, vel cum jusculo Malv. Alt. & cicer. rubr. decocto assumptum.

Consil: pag: 426

Oleum lini destillatum ad cochlear iij, vel IV. consimiliter sumptum eosdem habet effectus. Juscula Cratonis sæpè oblata viarum Angustiam solvunt, leniunt & abstergunt, Ventriculúmque expurgant. Idem præstat Decoctum Nephriticum *Foresti supra* genuinè descriptum. Syrupus cum vel sinè Decocto Nephritico, *Færnelij* haustus lubricat, emollit, atque absq; ulla præcipitatione Urinam & calculum provocat.

Topica.

Externa: ut Olea, Linimenta, Unguenta, Cataplasmata, Balnea, Clysteres, &c. Inter Olea sunt amygdal dulc. lil. albor. Camomil. scorpion. Axungiæ

 Cuni-

Cuniculorum, taxi, pingvedo Gallinar. Inter ungventa, de alt. anodyn. Inter Cataplaſmata. de medulla panis, de parietaria Cratonis, Unzeri, Riverij, & Holerij: Implacabiles Renum & Veſicæ dolores Parietaria cum oleo Camomil. & lil. albor. in ſartagine frixa linteo raro ob voluta, & cataplaſmati forma impoſita mirificè vias dilatando compeſcit. Cherefolium minutim conciſum in ſartagine cum oleo ſcorpionum frixum, & laboranti parti impoſitum optimè juvat.

Inter Balnea hoc efficax eſſe cenſetur: ℞. Malv. cum tot. parietar. ſiſymbr. fol. braſſic. ſumit. fœnic. anet. petroſel. rad. eorundem ana M iij. ſem. lin. fœnugræc. ana ℥ iij. ſem. anis fœnic. Ammeos ana ℥ß. IV. frig. major. ana ℥ jß. Milij ſol. & gran. Halicacab: ana ℥ ij. Fl. camomil. mel:. ana M. j. Decoq. in tribus aq. partibus, & una Vini pro inſeſſu, in quo inſideat laborans uſque ad umbilicum prius tamen hauſto lithontriptico. Clyſteres deſcripti huc revocandi ſunt.

Quod ſi his adminiſtratis dolor adhuc excruciet, certum erit, calculum majoris eſſe molis, quàm, quod ob anguſtos ureterum meatus permeare poſſit, aut renibus infractum hærere. Quod ſi pertinaciter in capite Ureteris inhærere

con-

contingat, pedibus in altum elatis, & corpore concusso in Renis capacitatem repellendus; si autem lapis altiùs Ureteris cavo impactus sit, quàm ut retrò pelli possit, nec dolores inde orti ulli remediorum generi cedant Novum excogitatum est Remedium, & cucurbitularum non scarificatarum usus introductus, quos paulò sub doloris loco affigunt, & sic obliquè deorsum gradatim toties reponendo secundum Ureteris ductum calculum tandem in Vesicam ducunt. At ubi inflammationis alicujus metûs adesse suspicio foret, non adeò tuta esset cucurbitularum applicatio, quæ tamen non nisi laxatis viis tentanda est.

Novissimũ Calculi Remedium

Secundò

Secundò. Calculorum dolorem procreantium exclusio fit Lithontripticis suprà Copiosè specificatis, quibus tamen non nisi præmissis Universalibus, uti sæpiùs monitum est, est fidendum.

Tertiò

Tertiò. Causæ Antecedentes, quæ auferri debent, sunt duplices: internæ immateriales, ut calida & sicca viscerum præcipuè hepatis, & Ventriculi præter naturalis harmonia, quæ in statum naturalem reducenda est cum cautione tamen per medicamenta hepatica & stomachica temperatè refrigerantia, de quibus suprà. Secundò sunt Externæ seu Procatharticæ, quarum

ſublatio per debitam Victus adminiſtrationem recompenſatur, de qua affatim in Diætæ præſcriptione.

Quartò Quartò. Cùm in Nephritide dolor adeo aliquando urgeat atrociter, ut non immeritò hominum crux & tormentum nuncupetur, Nephriticúmque non nunquam in ſincope præcipitet, de eo imminuendo ſedula & unica ſit reflexio, quia vires frangit & vitioſos humores attrahit in partem affectam. Hoc commodiſſimè perficiunt omnis generis ſuperiùs attacta Anodyna tam intrinſecè, quàm extrinſecè applicata. Quod ſi his ritè ſæpè ſæpiùs tentatis, & invanum multoties adhibitis præter omnem ſpem dolores adhuc ità infeſtarent, ut dies & noctes cum virium dejectione inſomnes Nephriticus ducere cogeretur, ſumma neceſſitas reſtaurationis virium gratiâ aliquando ad opiata & hypnotica tranſire cogit; Inter quæ ſunt:

Theriaca recens, Philonium Romanum, Requies Nicolai ad ℥ß. per os exhibitum, vel ℥ij. Clyſteribus admixtæ vel laudanum opiatum â gr. ij. ad iij. datum. Tempus exhibendi verò illa eſt: Quatuor horis â cibo, quo tempore cibi ſunt ê Ventriculo diſtributi.

Calculi Veſicæ curatio. *His præmiſſis reſtat Calculi Veſicæ Curatio.* Quandoquidem Veſicæ Calculus eaſdem

dem habeat causas, quas Calculꝰ renum, eodẽ modo, ijsdemq; medicamentis Curâ absolvetur, at fortioribus, & acrioribus; Vesica etenim longiùs distat, frigidiorisq; est Evcrasiæ, quàm Renes. Sed anteqvam Curam aggrediamur: Quæstio se offert, an Calculus formatus Vesicæ sit curabilis remedijs ore sumptis, aut injectis? Notorium est, non tam Circulatores, sed etiam Medicos quosdam ad calculum Vesicæ frangendum Remedia non pauca præscribere; inter quos est Monardes, Horatius, Augenius, Bartholomæus Turrianus. & Laurembergius. qui præter alia Arcanum ex millepedibus commendant. Quercetanus quoque in Pharmacopæa restituta Aquam describit ad Calculum in Vesica etiam sine dolore frangendum. Petrus Potterius *Observ: cent:3. cap:73. pag:389.* idem spondet; sed timendum, nè potiùs pollicita sint, quàm præstita. Nam, si Calculus in Renibus, qui utpotè calidiores, medicamenta faciliùs in Actum reducere possunt, difficile admodum comminuitur, multò difficiliùs in Vesica, quæ frigidior, & remotior est, & cujus Calculus renali durior esse solet, ac tum periculum adest, nè validiora, & acriora ejusmodi medicamenta in transitu suo partes alias lædant. Quas

Quæst: An Calculus Vesicæ curari possit per medicamenta per Os sumpta?

ob causas Galenus cap: de lap: Judaico ridet Dioscoridem, qui ad calculum Vesicæ judaicum lapidem commendat: *Medicamentum*, inquit, *integris viribus ad Vesicam pervenire non potest, atq;, ùt concedamus pervenire posse, infringitur vis medicamenti, tum amplitudine Vesicæ, tum Urinæ, in qua natat, tum Calculi duritie, tum involucro, & pituitâ multâ, quâ circumvolvitur.* Hyppocrates ipse in juramento (quanquam aliàs Chyrurgiam exerceret (*non secabo*, inquit, *Calculosos, sed illius Artis operarijs relinquam.* Non habebat enim remedium, quô frangi calculi possent. Haud igitur semper fidendum ijs, qui ad id præstandum, remedia præscribunt Refert Duretus in Hollerium, se vidisse ejusmodi remedijs exulceratam Vesicam, & mortem secutam. nequaquam detrito calculo. *Quidam*, ùt idem ait, *veritus sectionis crudelitatem quorundam consilio bibit succum limonum per tres menses, interijt aphtis ab eo succo in Ventriculo excitatis; Necessè enim est, acria medicamenta partes, per quas transeunt vi ea, quâ pollent, afficere, & exulcerare.* Sanctorius refert Comm: in Art: parv: Gal: quendam Medicum Italum, dum ad frangendum Vesicæ Calculum uteretur Electuario de vitro usto, loco comminutionis Calculi lethalem induxisse dyssenteriam. Narrat quoque alium

alium quendam, qui validiſſimis Diureticis uſus fuerat ex conſilio cujuſdam Circulatoris, quæ cùm pituitam plurimùm abſtergendo vacuâſſent, Ægérque meliùs habere videretur, Calculus tamen aſperior factus, cæpit Veſicam acriùs pungere, & facto ulcere, eóq; gangrenoſo, ſicut ſecto cadavere apparuit, miſerrimè perijt Ægrotans. His etiam Septalius ſuum adjicitCalculum, ubi in hæc verba prorumpit: *Scio ego*, inquit, *& antiquos, & recentiores Scriptores, infinitis propemodum & ſimplicia, & compoſita medicamenta tradidiſſe, ad comminuendum & frangendum Calculum in Veſica; At horum Authoritate etiam ſcio quàm plurimos Ægrotantes in perniciem â Medicis nimiùm credulis deductos.* Ægrotantes cùm ex lapidis per inciſioné extractione quàm plurimos mori obſervent, omnia malunt priùs experiri, quàm genus illud carnificinæ etiam periculoſum. Medici partim experientiâ deſtituti, promiſſis Scriptorum adducti, & denique aut ſpe defraudati, aut jam jam curationi ſuccumbentes tandem non aliam ſe invenire viam curandi, quàm per ſectionem, profitentur; Sed interim Æger crumenis exhauſtis ob dolores & vigilias conſumptis carnibus, viribus vitalibus etiam deſtitutis, exardeſcentibus Renibus, Veſicâ, & Urinâ ipſâ, tandem

Animadverſ: Lib:7. de lapide Veſic:

L ut ex-

ut experiatur, etiam in hanc consentit curationem, & eam etiam ob rem majori ex parte moriuntur dissecti. Quare præstaret resolutionem ab initio, dum vires vitales vigent, dum corpus adhuc carnosum, & succi plenum est, dum Vesica adhuc mucosâ materiâ vestita est, nondum aut petrificatione lapidis, aut vi calidorum medicamentorum & acrium absterfa, unde adhuc dolores non adeò acerbi sunt: dum denique Calculus nondum ad magnam molem excrevit, sumere, & curationem hanc optimo Artifice electo tentare. Deniq; Galenus in Arte parva c. 94. textu 3. solam sectionem inter remedia Calculi Vesicæ recenset, ubi rectè advertit Argenterius hinc refelli eorum opinionem, qui Calculum medicamentis ore assumptis curari posse credunt. Quas ob causas ad quæstionem factam respondemus, quòd Calculus Vesicæ Urethræ cavo minor curari, seu expelli; major verò, & confirmatus non assumptis, & manuali operatione, sectione exceptâ, educi possit. Quibus rationibus adducti Curæ Calculi Vesicæ per medicamenta fiendæ supersedemus. Si quis tamen curiositate ductus horum notitiam sibi comparare voluerit, eum ad præcitatos Authores & Senertum remittimus. Ex quibus patet, quòd cum nul-

lo

lo alio auxilio poſſit tolli Calculus Veſicæ confirmatus, quàm ſectione, valdéq; metuendum ſit, nè in dies cruciatus augeantur, cum certo vitæ diſcrimine, ſatiùs eſt anceps, quàm inane experiri remedium.

Cura Calculi Veſicæ per Sectionem.

Cura Calculi Veſicæ per ſectionē. Tuta eſt ſectio in pueris ab Anno ætatis 4. uſque ad 14. quamvis ſenes difficiliùs evadant, non tamen deſperandum: Nam Septalius, & Silvatius in conſultationibus meminerunt, ſenum 50. 60. 70. & 80. Annorum, quibus per ſectionem Calculus Veſicæ feliciter fuit exemptus. Præmiſſâ ergò corporis purgatione, & ſi ſit opus ſangvinis miſſione. 1. Æger ſemirectus ſuper ſedile, aut menſam ſtabilem ligetur. 2. Deinde diducta crura manibus femoribus juncta vinculis lineis conſtringantur (nè ſe movere queat Æger) 3. Locus eligatur perinæum, ſeu interfæmineum ſecundùm latera. 4. In hypogaſtrio tutum non eſt operationem inſtituere. 5. Culter non debet eſſe ignitus, ùt præcipit Augenius, ſed frigidus. 6. Inciſio fiat ſuper digitis in anum immiſſis, ſuper Calculo digitis firmiter cuti approximato. 7. Foramen fiat amplum, pertingens ad cavum Veſicæ. 8. Extractio Calculi fiat cochleari oblongo, ſeu forcipe oblongo denticula-

to, prout commodè videbitur. 9. Liber ratus reponatur ad lectum. 10. Vulnus curetur, ùt recentiora Vulnera alia per incisionem simplicem facta. 11. His accedant confortantia temperata, ùt: Magisterium Perlarum, Corallorum, & Smaragdi. 12. Diætâ utatur temperata. 13. Respiciat Aëris moderationem. 14. Cibus parcâ manu offeratur. 15. Carnes assæ magis, quàm elixæ, eáq; pauca sint. 16. A potu abstineat omnimodè novem dierum priorum spatio, pauco jusculo carnis insulso contentus, ut Urinæ vitentur molestiæ, siccaq; maneat Vesica. 17. Somni vigiliæq; habeatur ratio. 18. Immotus jaceat, nè vulnus in opere consolidationis turbetur.

Peractâ Prophylaxi, pertractata Renum Calculi non moti, & moti curatione, sicut & curâ vesicæ absolutâ pro conclusione superest nè prætereamus, sed cruentæ Urinæ mictionem paulisper inspiciamus. Pro confesso habetur, quòd sangvis â multis partibus ad Urinæ vias transferri, & Urinæ permisceri, eámque sangvinolentam reddere possit. At cùm id raró contingat, ac nos hic duntaxat renum, & vesicæ Calculum elucubraverimus, de Urina cruenta paucula addere restat. Cruenta Urinæ mictio â Medicis dicitur: Cum Urina

Quid Urina cruenta?

 san-

ſangvine eſt perfuſa, & ab eo tincta; ſangvis autem, qui ſeorſim abſque Urinæ ſimultanea excretione procedit, mictio cruenta non vocatur, ſed quando ſangvis Urinæ eſt admixtus, manavitque vel â Veſicæ ore, vel ejus ſphinctere, vel ab ureteribus, quod rariùs, vel ab ipſis renibus, quod frequentiùs accidit. A ſphinctere ab Arenæ craſſiore, & aſperiore eroſo, aut â calculo ſauciato, â veſicæ ore eo â calculo grandiori contuſo, aut aſperiori eroſo: Ab Ureteribus, ut exangvibus raró fit, & ſi ſit abraſa interiore tunica fit â Renibus, quando calculus accretus ſuo loco avellitur, vel duriore corporis motu interius Renum parenchyma atterit, & venulas rumpit, ut inſinuat Hyppocrates: *Quicunque ſponte & repentè ſangvinem mingunt ijs â Renibus Venula rupta ſignificatur* item: *Si ſangvinem mingant, aut grumos, vel ſtillicidium Urinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & perinæum ad Veſicam labor.*

Quæ hujus cauſa?

Sect: 4. Aph:78. & Aph: 80.

Curatio.

Cruētæ Urinæ?

Riverius ſangvinis mictum â calculo & arenulis, præmiſſis evacuantibus, revellentibus, & Acrimoniam demulcentibus, curat leniter abſtergentibus, & dein adſtringentibus quæ renes ab infarctu liberant. Quibus veró remedijs id præſtet Praxeos Medicæ librum XIV.

caput IV. de Mictu ſangvinis ex Profeſſo agentem horum cupidus inſpicere poterit. Lac Ovillum in hoc caſu maximè laudatur â Foreſto: *ſæpè*, inquit, *ſangvinis mictum ſolo lacte Ovillo nempè ſumendo* ℥ *iv. lactis*, *&* ʒ *j. boli Armeni curavi.* Hoc idem expertum â Gatinaria, qui tamen præcipit, nè poſt aſſumptionem aliquis dormiat, neque ſeſe exerceat; Laudant etiam Hollerius, & Duretus ex Hyppocrate & Avicenna Nonnunquam tamen ſine bolo cum fructu exhibetur, ſomnúſque indulgetur. Extrinſecè Regionem Renalem Ungvento Roſato Meſue, & refrigerante Galeni, quibus, ſi copioſior ſangvis prodiret, Ungvento Comitiſſæ inungi poſſe concludimus.

Lib: 24. Obſ: 13.

O. A. M. D. G.

J. H. B. V. I. M. A.
& SS. D. C. & D. H.